A.70
Gualthews R

Br an
Wittgestein k.86

jeden
wrap 1

33x22 cm

II 20
Rüetschi

Gratia et pax à Deo patre per Dominum nostrum Jesum Christum.

Ex literis D. Nicolai Rhodingi, Marpurgensis pastoris, intellexi Illustrissime princeps, Clementiam tuam bonis literis egregiè instructã esse, et fideles Christi ministros amore singulari complecti. Fuit hoc mihi auditu iucundissimum: quòd qui huius sunt loci et ordinis communem religionis causam, si tales sint, plurimum promouere possunt: quam plerique hodie aut turpiter negligunt, aut prauis animi perturbationibus excoecati illam pro sua libidine opprimunt. At quia Rhodingus noster simul retulit, Clem. tuae probatas fuisse lucubrationes meas in Hoseam et Ioëlem, quarum exemplar illi videndum exhibuit nobilis atq; eximius vir, Dnus Eberhardus à Bruch, amicus vetus et singularis: hoc me ex officio facturum putaui, si duodecim Prophetas, qui nunc (quod faustum felixq; sit) vno volumine comprehensi in lucem prodeunt, ad Clem. tuam mitterem. Mitto autem rudem ab officina librum, quia temporis angustia obstitit, quò minus decoro ornatu vestitus in Clem. tuae conspectum venire posset. Quam oro, vt hanc meam audaciam aequi boniq; consulat, meq; in suorum clientum numerum recipiat, et hoc nostrae notitiae initium felix atq; auspicatum esse patiatur. Dominus Jesus Clem. tuam propitius seruet, spiritu suo regat, et gratiae suae donis quotidie magis magisq; exornet atq; adaugeat. Amen. Datae Tiguri XIIII Martij, anno incarnati filij Dei M.D.LXIII.


Clementiae tuae

obseruantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Homilias tuas in Prophetas minores, quas ad me e nundinis
Francofordensibus transmisisti, accepi Vir Reverende: et sane duplici
nomine mihi gratae fuerunt, tum quod erudita pietate conscriptae,
tum quod ab authore profectae, cuius nomen mihi alias multis modis
a nobili viro Eberhardo a B[illegible] commendatum fuit, qui ante
annum librum tibi dedicatum mihi legendum obtulit; et simul
quanta olim inter vos necessitudo fuerit, dulci commemoratione retulit.
Digni sunt libri Prophetici, in quorum explicatione docti quique
dono interpretationis divinitus ornati, desudent ac fideliter laborent.
atque etiam praesentis seculi doctrinam et comminationes Prophetarum
sibi ~~[illegible]~~ ipsi applicare ~~[illegible]~~ et seculo accommodare ~~possent~~, maxime praesertim
cum iam imminentes poenas cernere ~~[illegible]~~ discernere pie ~~[illegible]~~ itaque
faciunt doctores qui hodie, cum prophetis ~~[illegible]~~ urbanis [illegible] exclamantes, mundo ~~flagitia~~
impietatem et flagitia exprobrant, resipiscendi tempus et viam com-
monstrant, conversis gratiam dei ~~annuntiant~~, contemptoribus divinum
iudicium ~~praedicant~~ annuntiant. Gratias ~~itaque~~ autem habeo maximas dignitati
tuae, non tantum pro ~~opusculo~~ opere mihi oblato, sed pro diligentia
summa, qua ecclesiis Christi communiter prodesse studes donis tibi
a ~~deo~~ Deo collatis, [illegible] signa bonorum virorum [illegible] [illegible]
atque [illegible] manus in domino. Ego si quo officio gratitudinem
animi mei erga te declarare potero, beneficii praestandi non
immemor ero. Aeternus pater domini nostri Jesu Christi servet
te cum suis diu incolumem, donetque nobis omnibus ut in fide
filii eius, in charitate mutua vitaeque innocentia
adolescamus, crescamus et in fine usque ~~[illegible]~~ [illegible].

A. 1563.
d. 23. April.



A° 1583. Ro: Gualtherus commentaria in 12 prophetas mittit, & initium facit notitiæ.

Generosissimo et illustri viro,
Dno Ludovico, Comiti Vuitgen:
steinensi & domino suo pluri:
mum observando.

G. 1.

S. Redditæ sunt mihi Excellentiæ tuæ literæ, ex quibus voluptatem singularem percepi; quod meas lucubrationes illi probari viderem, cuius pietatem et iudicium ab amicis multoties prædicari audieram. Ex eo enim spem concipio, fore, vt maior ex illis fructus redeat ad ecclesiam, cui me et labores meos iampridem consecraui. Rectissime autem iudicat tua Cl. prophetarum sermones nostri sæculi moribus quam maxime conuenire. Terrentur enim illis impij et contumaces iudiciorum Dei contemptores, cum vel inuiti intra animos suos verbi Dei vim atque per hoc excitatos conscientiæ stimulos sentire coguntur. Rursus dulcissima consolatione piorum animi confirmantur, quando Christi regnum æternum fore, et hunc in medio hostium suorum in terris quoque vsque ad consummationem sæculi huius dominaturum esse audiunt. Et sane consolationibus eiusmodi hodie cumprimis est opus, quando Antichristus in extrema hac lucta vires omnes exerit, et in hoc totus est Satan, vt quando videt sibi cedendum esse, prius aliquod ingens malum det, quam locum suum relinquat. Apparet hoc ex eo, quod Tridentini patres passim faces circumferunt, quibus principum animos inflament, vt Concilij per ipsos habiti decreta populis suis, imo exteris quoque, obtrudant. Apud Gallos miris artibus hucusque vsi sunt. Cardinalis enim Lotharingus Tridento reuersus in aulam, hoc primum a Rege postulauisse fertur, vt Concilij acta subscriptione sua confirmaret, nimirumque vt ita sese ad eorum quoque executionem ~~sese~~ obstringeret: quod proximum erat ad euertendas Galliæ ecclesias compendium. At cum regem hoc iniquiori animo accipere videret, callida tergiuersatione illum rursus placarunt. Nunc vero eum ad nouas artes conuerti ex fide dignis et non postremæ authoritatis hominibus intelleximus. Quia enim inter Galliæ ecclesias reformatas et Germanos circa Coenæ dominicæ articulum aliquam dissensionis speciem esse videt, hoc efficere cupit, vt in Galliam euocatis aliquot Theologis ex Germania, eos cum verbi ministris, qui illic docent, committat, et hos magis exosos et suspectos reddat, vt qui doctrinam prædicent, quæ ipsis quoque Germanis, primis eius authoribus, improbetur. Erit ergo diligenter aduigilandum viris principibus, ne ab ista vulpecula se falli et circumduci patiantur: cum omnes norint, quam turpiter ante biennium nonnullis illuserit, apud quos vna cum fratre Guisio aliquod reformandæ ecclesiæ studium simulauit: mox vero ab eis digressus bello ciuili initium dedit, quod inaudita cum crudelitate gestum omnes prope nationes inuoluit. Hæc ad tuam Clem. scribo, vt si nihil horum ad vestras aures peruenit, aliqua de his cogitandi occasio vobis offeratur. Tutius enim fuerit, aliquam dissensionis speciem patienter et cu

Christiana lenitate ferre, donec Dominus dederit, ut idem omnes sentiamus et dicamus, quam apertis hostibus fidei occasionem dare ecclesias turbandi, qua simul succrescentem in regno omnium potentissimo evangelij segetem extinguant aut opprimant. Tuam vero Clement. oro, ut hanc meam scribendi libertatem boni consulat, cuius mihi praecipuae sunt causae, ecclesiae et pacis publicae studium, deinde humanitas tua, qua amicitiam tuam mihi offers, qui hoc potius cupio impetratum, ut tua Excellentia me in suorum clientum numero habere et mea opera, si quid illa potest, uti dignetur. Deus pater misericordiae tuam Clementiam servet incolumem, et ad sui nominis gloriam dirigat, Amen. Tiguri. 9 Martij. Anno incarnati filij Dei 1564.

Tuae Excellentiae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Generoso et illustri viro, Domino Ludovico, Comiti Witgensteinensi, domino suo observantissimo.

B. Aubery.

Genevae 3 Aprilis A° [illegible]

[illegible]

Generoso et illustri viro, Dño Ludovico, Comiti Vuitgensteinensi, domino suo clementissimo.

B iburg.

Psentatu 3 Aprilis A° 64

5. 2.

S. Intermisi ad tempus aliquod Ludovice Comes generosissime, scribendi officium,
non quód tuae Excellentiae memoria animo meo exciderit, aut illam minus vere-
rer: sed quód nihil scriptu dignum occurreret. At quia nunc (quod faustum
felixque sit) in lucem exeunt meae in Pauli ad Romanos epistolam homiliae, no-
uam scribendi occasionem nactus, earum exemplum ad te mitto, et rogo, tua Ex-
cellentia hanc meae erga ipsam voluntatis et observantiae significationem pro
solita humanitate animo aequo excipiat. Est epistola illa lectu et cognitu
dignissima. Continet enim pulcherrima et perfecta methodo totius fidei
et religionis Christianae compendium, cum omnibus ijs, quae de humanae sa-
lutis negotio dici possunt: et simul obiectionibus diligenter occurrit, quibus
adversarij veritatis doctrinam vel invisam et suspectam reddere, vel evertere
conantur. Meritó igitur in illa interpretanda plurimi ex veteribus laborauerunt,
et nostro saeculo praeclaram in ea operam nauarunt primarij ecclesiarum
doctores. Horum itaque exemplo excitatus, ego etiam aliquid audendum pu-
taui: non quód in illis aliquid desiderem, qui in hoc argumento ante me ver-
sati sunt: sed ut meam sententiam sub ecclesiasticorum Sermonum formula pro-
ponendo, me rudioribus accomodarem, qui ex eruditis doctissimorum virorum
commentarijs minus proficiunt. Quod eó lubentius feci, quód et amicorum
precibus urgerer, et viderem non prorsus omni fructu caruisse nostra, quae
antehac vulgauimus. Praefationis argumentum nostri saeculi moribus impri-
mis convenire putaui, quando scandalorum plena sunt omnia, et multi dedi-
ta opera in meridie impingunt. Te autem oro generosissime Comes, ut si
nostra tibi lectione digna videntur, et si quae inter legendum occurrunt, quae
vel reprehensionem vel ampliorem declarationem requirunt, de illis me ad-
monere digneris. Scio enim tantam esse mysteriorum Dei et oraculorum scri-
pturae sacrae profunditatem, ut eruditissimi quique in illis eruendis interdu(m)
hallucinari soleant. Et cum ex inimicorum obtrectationibus siue conuitijs
viri boni et cordati eum fructum percipiant, quód illis admoniti multa corri-
gunt, quae prius in suis moribus ipsi non observarant: quantó magis amici
audiri debent, á quibus nos amari scimus, et qui cum eruditione rerumque usu
verae pietatis studium atque iudicij dexteritatem coniunxerunt. In quorum
albo te Comes generosissime, iampridem numerare consueui. Deus Opt. Max.
tuam Excell. suo fauore protegat et spiritu suo regat ad nominis sui glo-
riam. Amen. Datae Tiguri XXVIII Augusti. Anno incarnati filij Dei
M.D.LXVI.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Generosissimo et illustri vi:
ro, Dn̄o Ludovico, Comiti
Vuitgensteinensi &c, domi:
no suo summa reverentia
observando.

Lipsiae
[illegible], 18. Octob: Anno
e 66.

g.3.

S. Magnas tuae Excellentiae me gratias debere fateor Ludovice Comes gene-
rosissime, qui me nihil unquam de te meritum tam humaniter et amice
invisere dignatus sis, quando ego cum Quartana mea colluctabar. Fuit
ea mihi multis modis molesta, sed inter alia vix mihi toto eo tempore
aliud molestius accidit, quam quod me Excellentiae tuae operam dare p-
hibuit, et invitum domi detinuit, qui tibi comes individuus haerere cu-
piebam. Duravit in Martium usque mensem per hebdomadas amplius
triginta, et toto corpore debilitatum atque anhelantem vix tandem re-
liquit, cum sub finem quotidiana facta esset, quae aliquandiu duplex
quartana fuerat. Et ea causa mihi fuit, quod nundinis vernalibus
nullas ad Excell.^am^ tuam literas dederim, cum ne illis quidem officijs
satisfacerem adhuc, quae necessitas ipsa requirebat. In die Palmarum demum
ad docendi munus redij, in quo hucusque pergo et per gratiam domini
meliuscule habeo. At Lucas meus febri illa retardatus nunc pro-
dire adhuc nequit, prodituros, si ita Deo videatur, ad nundinas pro-
ximas, quae Martio mense habebuntur. Excell.^ae^ tuae affinem, Comitem
à Solms, cum hac transiret, convenire non potui, at rogante me
Dasypodio, eum per literas amicis Genevensibus commendavi, qui
mihi omne officium polliciti sunt. Ab eo autem tempore Schola illa
non sine multorum incommodo et dolore dissipata est peste, quae Junio
mense exorta aliquandiu occultius, nunc at aperte grassatur, et a-
liquos classibus gymnasij praefectos abstulit. Filium meum D. Bu-
daeus in villam suam ablegaverat cum nobili iuvene Augustano,
sed utrumque nunc ~~Genevae ac~~ Lausannae agere puto, quo se migra-
re cons[ti]tuisse ante triduum scripserunt. Captat hanc occasionem
Sabaudus, ut urbem sibi exosam magis affligat. Nam edictis publi-
cis vetuit, ne qui ex suis eam ingrediantur, neve illis ex urbe in
suas terras exire liceat. Magna ergo rerum inopia premuntur miseri,
quam multitudo exulum, qui ex Gallia fere nudi et egeni omnium
illuc confluxerunt, vehementer auget. D. Scrimgerum, Scotum natio-
ne, virum eruditum et multis principibus quoque notissimum, nuper
in sua villa raptum, Sabaudi Camerarium latronis instar abduxerunt.
Intercessit pro illo mox Legatus Regius, qui Solodori agit, vir litera-
tus et bonus, etsi à religione adhuc sit alienior, et res penssum tu-
lit ab eius loci Iudicibus amicum: sed quid praeterea factum sit ne-
scio. Infelix certe et periculosa est civitatis Genevensis conditio, quae
cum eo principe negotium habet, qui nec bello aperto eam petit, nec
tamen ei insidiari desinit. Et multa fiunt, quae (nisi tandem cesset)
belli futuri praeludia esse videntur. Sed multum posset in frangen-
dis eius conatibus Gallici belli exitus laetior: de quo bene nos spe-
rare iubent multorum literae, et constat à paucis diebus nostros
aliquot victorijs praeclaris potitos esse, et urbes complures occupa-
visse, de quibus ad D. Eberhardum nostrum scripsi, qui ea tuae
Excellentiae communicabit, ut vicissim abs te audiat, quae de Italicis
ac Turcicis rebus apud nos certa ferentur. In Italia enim multos

A taedere iam incipit tyrannidis, quam Papa hypocritarum, quotquot unquam fuerunt, nequissimus,
exercet: et iam cum Venetis illi litem esse fide digni nobis retulerunt.
Habuit illa Resp. decimas quasdam in nonnullis locis iam saeculis ali-
quot, quas Papa Collegiis et Ecclesiis vendicare conabatur. Defenderunt
ius suum Veneti instrumentis vetustis, et indignum putarunt aliquid
ex reipub. suae reddititibus annuis amittere. Mox ergo in illos excommu-
nicationis fulmen vibravit Pontifex. Illi, ne quae turbae illinc ori-
rentur, Patriarcham suum vocarunt, qui eos ab excommunicationis
sententia liberos pronunciavit. Quo audito, Pontifex Patriarcham
Romam citat, Veneti ne eo proficiscatur prohibent. Pendet itaque
lis ista, et verisimile est ea casurum esse Papam non sine ingenti
sedis suae damno, si res in Gallia felicius succedat. Interea novus
tumultus Romae exortus est. Novit opinor Excell.a tua Caesarino-
rum familiam, quam illic nobilem et illustrem esse ferunt. Ex
ea quidam Cardinali, quo cum ipsi lis erat, colaphum impegit.
Papa Caesarini manum sinistram amputari iussit. Cuius supplicii
indignitate Romani nobiles et multi ex vulgo irritati in palatium
impetum fecerunt, sed infelix ille hypocrita, tunc plus aequo feli-
cior, in molem Adriani evasit, nec audivi, num ex ea adhuc
exiverit, aut num tumultus illi prorsus sedati sint. Sunt haec
fortassis initia dolorum, quos brevi partus aliquis illa sede dignus
sequetur. Selimus Turcarum Imperator, cum contra Arabes adversus
ipsum seditiose tumultuantes bellum suscepisset anno superiori, non mul-
tis ab hinc ~~septimanis~~ mensib. eos ingenti praelio devicit, in quo centena mil-
lia ex illis caesa sunt, regna item eorum duo, Ayenem et Zibith, sube-
git: postea arcem munitissimam ad Tanaim cepit, quâ ad Persas itur.
His victoriis elatus magno cum apparatu bellum novum parat, nec tamen
adhuc constat, quos nam petere instituerit. Quidam Turcicarum rerum non
ignarus, Hispanis inde periculum imminere putat, quos à Mauritanis
infestari, Excell.a tua iampridem audivit. Sunt, qui Transylvaniae Regu-
lum ab Imperatore terras omnes ad coronam Ungaricam pertinentes
repetere aiunt, et nisi reddat, bellum minitari. Quod si verum sit
hoc ab illo non absque Selimi mandato fieri certum est. De Austria-
cis rebus varia feruntur. In Tirolensi comitatu verae fidei confessionem
periculosam esse, certo constat: et Ferdinandum sorores ad crudeli-
tatem instigant. Ferrariae dux militem conscribere dicitur, sed in quem
usum, ne scitur. Sed Constantinopolim redeo, ubi 15 Junii intempesta
nocte ignis ingens in aere inter Orientem et Occidentem exarsit
quo tota civitas non minus quam Sole meridiano illustrata fuit:
sed post aliquot horas supra domum Legati Gallici, qui illic agit,
delatus paulatim disparuit. Portendit hoc nescio quid. Ego Turcicum
foedus Gallis aliquando exitiale fore puto, et qui huic fidunt, for-
tassis idem quod Graeci patientur, quibus Turcica auxilia libertatem
cum Imperii infelicis reliquiis abstulerunt. Haec sunt Illustris
ac generose Domine, quae scriptu digna ac scitu non iniucunda pu-

tam: tuam verò Excell.tiam rogo, ut scriptionem tumultuariam aequi bo-
nique consulat, cuius mihi non alia causa fuit, quàm quòd mei officij
esse iudico id facere, quod à me discedens petebas, ut amicitiam no-
stram literis mutuis foveremus. Ego qui indignus sum, quem tua
Excell.a amici loco habeat, non postremum meae laudis et gloriae gra-
dum putavero, si hoc qualecunque obsequium tibi probari intelligam.
Deus Opt. Max. Excell.tiam tuam cum generosissima coniuge servet
ac donis tam corporalibus quàm spiritualibus augeat. Tiguri
26. Augusti. Anno 1569.

Tuae Excell.tiae

observantiss.s

Rodolphus Gualtherus.

Illus tri et generosissi:
mo domino, Dnō Lu:
dovico Comiti à Vuit:
genstein & domino
suo cum reverentia ob:
servando.

Pontus Borckburgi 10 octob.
69
8.4.

S. Quas Excellentia tua Illustriss. ac generosiss. domine, vernalibus nundi-
nis ad me dedit, mihi multis nominibus iucundissimae fuerunt. Ex ijs enim
non solum animi tui erga me benevolentiam, verumet egregium Zelum, quo
Excell.a tua in promovenda et tuenda communi pietatis causa ardet, perspi-
cere licuit. Qui cum hodie rarus sit in ijs, quos cura ista maxime tan-
gere debebat, eo plus laudis merentur, qui gloriae Dei et publicae salutis
maiorem quam exempli communis rationem habent. Sunt autem multa, quae
hodie nos excitare poterant, nisi fatalis illa securitas, quam novissimis
temporibus regnaturam esse Christus praedixit, omnium animos iam
pridem occupavisset. Certant in superstitionibus suis propugnandis et pro-
pagandis adversarij, foederibus arctissimis inter se reges coeunt, et eadem
coniugijs quoque novis confirmant, furit ex sua sede Romanus Pontifex
et miris artibus regnum suum ubique terrarum stabilire satagit. Quid
vero nostrae partis homines interea faciunt? Non de principibus, sed de
Theologis, de Ecclesiarum ministris et Scholarum praefectis loquor. Alij su-
pina oscitantia causam hanc prorsus negligunt: alij mali etiam exem-
pli authores sunt mundo ad omne vitium per se plus satis proclivi.
Multi inter se pugnas excitant de rebus aut nihili, aut non admo-
dum necessarijs. Alij enim de praesentia corporis Christi in pane con-
tendunt, securi interim, quomodo ille in nobis agat, et nos in illo vi-
vamus. Alij rursus de iustitia essentiali litigant, et contendendi libi-
dine abrepti, se hominum iniustissimos esse produnt, cum Ecclesiam
Dei offendere non vereantur. Quid de Saxonica concertatione di-
cam, quae iam annis aliquot Theologos illarum regionum omnes exer-
cuit? quae denique multos bonos, multos illustres et egregios viros su-
spensos tenet, multos etiam periculis implicat minime contemnendis.
Quaerit non inmerito Excellentia tua, quis nam eius concertatio-
nis status sit: et idem multi quoque alij quaerunt: Sed illum monstra-
re non tam facile mihi videtur, ut multi putant. Audio quidem factio-
sa Flaccianorum et Synergistarum nomina: sed dum illorum scripta et rationes
inspicio, mihi non tam de re ipsa, quam de Luthero contendere videntur,
dum utrique illum sibi vendicare satagunt, quasi causam hanc totam
evicerint, si illum a suis partibus stare demonstrent. Ridentur
Graeciae civitates, quae olim pro Homero litigabant. Quam procul
autem ab illarum ambitione et rixandi libidine isti absint, non video.
Et si omnino dicendum est quod sentio, arbitror hunc stultae illius
admirationis fructum esse, qua multi hucusque homines deificare
conati sunt, quando pro oraculis obtruserunt omnibus, quaecunque ab
illis quacunque occasione dicta fuerunt. Vult ergo Deus publico e-
xemplo omnium oculos aperire, ut discant ab eius solius verbo pende-
re, et se Christi sanguine pretioso redemptos esse meminerint, et pro-

inde non decere nos, ut hominum servi efficiamur. Neque hunc animum ego un-
quam Luthero fuisse crediderim, ut discipulos haberet tam stolidos sui nomi-
nis admiratores, qui ~~…~~ relictis Scripturis et orthodoxo eruditae vetustatis con-
sensu, ab eius solius ore pendeant. Habet utraque pars quaedam, quae im-
probari non possunt: sed quod proverbio dici solet, contendendo amittitur
Veritas, et puto aliquos vix seipsos intelligere, nedum adversariorum ar-
gumenta diligentius excutere. Bene facerent principes, si utrisque silentium
indicerent, et suos Theologos ab omnibus humanorum decretorum et con-
fessionum qualiumcunque vinculis liberatos in solius Dei Verbum iu-
rare, et Scripturas secundum fidei analogiam (ut Apostolus monet)
interpretari cogerent. Si enim ideo Romani Pontificis castra Ger-
mani ~~…~~ deseruerunt, ut ipsis liceret Christi discipulis esse, cur homini
servi fiunt? cur in articulos certos ab hominibus conscriptos iurant? cur
conscientias suas novis legibus astringunt? Haec liberius fortassis
scribo, sed condonabit mihi hanc audaciam tua Excell.a cuius huma-
nitate fretus mihi licere puto aperte quod sentio dicere. Et ut vere
fatear, ~~…~~ video hisce nostris exulceratissimis temporibus non aliam compo-
nendorum dissidiorum rationem inveniri posse, quam ut procul relicta hominum
quorumcunque authoritate, unum Deum in Scriptura sacra nobis loquentem
audiamus. Solus enim is est, in cuius Verbo hominum mentes acquie-
scere possunt, quarum cupiditati et curiositati nulla huius mundi existi-
matio sive dignitas potest sufficere. Ut vero illud apud omnes impetretur,
facilius erit optare quam effectum dare. Quid ergo restat, quam ut nos
adversus scandala ista certaminum nunquam finiendorum armemus, et me-
minerimus, non absque causa ab Apostolo dictum esse, Evangelij praedicatio-
nem esse bonam fragrantiam Deo tam in ijs qui pereunt, quam in ijs q[ui]
servantur, et Christum esse lapidem illum, qui alijs quidem ad resurrectio-
nem, alijs vero ad ruinam serviat. At qui in illo fidem suam et spem collo-
carit, is non pudefiet. Haec in praesenti ad Excell.ae tuae literas respon-
dere potui: nec quod istis adijciam habeo: cum quae apud nos feruntur, ea
ex nundinis tanquam ex famae theatro facilius et fortassis magno cum fa-
vore possint cognosci. Deus Opt. Max. Excell.am tuam servet incolu-
mem, et suo spiritu regat. Tiguri 25 Augusti. Anno 1570.

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

De controversia Theologorum
in Saxonia

Illustri et generoso domino,
D. Ludovico, Comiti in Vuit-
genstein & domino suo im-
primis honorando.

P[r] 15 Sept. A[o] 70

8. 8.

S. Accepi superioris anni nundinis autumnalibus Clementiae tuae literas Ludovice Co:
mes generosissime, quae mihi multis modis iucundissimae fuerunt, imprimis autē
eo nomine, quod Cl. tuam nostri probè memorem, et eidem pergratum esse officiū ∧ ∧ intellexi ∧
quod scribendis literis praestamus. Quod verò Clem. tua rescribendi tarditatem
excusat, id apud me supervacaneum est. Ut enim non ignoro tui similes nego:
tijs gravioribus, et saepe improvisis distineri: ita mihi abunde satisfecerit Cle:
ment. tua, si me amare pergat, et saltem singulis nundinis significat, num
meas literas acceperit. Legi diligenter librum, quem de articulis controversis scri:
ptum ad nos misisti. Authorem eius ~~Ex~~ Clem. tua non indicat. At quisquis
ille sit, video virum esse doctum, bonum, pium, ~~et~~ et imprimis in eo mihi
probatur ingenuus candor, quo libere et perspicuè quod sentit pronunciat. De dua:
bus in Christo naturis et idiomatum communicatione doctè scribit, quem unum lo:
cum si diligentius inspicerent adversarij nostri, magna ex parte dirempta esset
lis, quae nobis cum illis de Coena Dominica intercedit. Sed ut olim hoc ferè ar:
gumentum fuit, circa quod haeretici propè omnes offenderunt, alijs aeternam
Filij Dei deitatem, alijs veram eius incarnationem et humanitatem oppugnanti:
bus: ita hodie cum infelici illa controversia veteres quoque errores Satan post:
liminio reduxit. Saepe mihi in mentem venit, quod Zuinglius olim Luthero di:
13 xit, non de sola Coena Domini contentionem esse, sed si praesentiam corporis Christi
realem asserere pergat, ipsos fidei nostrae articulos in controversiam venturos esse.
Ita enim Marcionis deliria instaurari, qui veritatem carnis Christi olim oppu:
gnavit. Obiecerat enim Lutherus Zuinglio locum, qui Joan. 3 cap. extat:
Nemo ascendit in coelum, nisi qui è coelo descendit, Filius hominis qui est
in coelo. Et ex eo probare voluit, Christum tunc quoque, quando cum Nico:
demo loquebatur, corpore suo in coelis fuisse: et proinde nemini mirum debere
videri, si nunc post factam ascensionem in terris quoque agat, et
corpus suum nobis realiter et substantialiter manducandum praebeat. Re:
spondit ei argumento Zuinglius prolixè et graviter, ut Lutherus (quae eius
fuit integritas atque pietas) ab eo tempore nunquam illo amplius sit usus.
ut qui videret quanto cum scandalo coniuncta sit articulorum sive axiomatū
fidei nostrae vellicatio: imò non semel protestatus est, se illa salva et rata
velle. In Marpurgensi autem colloquio, cum Zuinglius diceret, realem et
essentialem corporis Christi praesentiam in Coena defendi non posse, nisi idem
illud ubique praesens esse fateamur; ita verò eius veritatem in dubium vo:
cari: solus Brentius inventus est, qui diceret: Atqui ego affirmo cor:
pus Christi esse ubique. Obstupuerunt ad hoc dictum qui aderant, Illu:
striss. tri principis et aliorum moderatione effectum est, ne res ista in
publicam concertationem veniret. Ab eo tamen tempore non desijt Brentius
hoc suum dogma tueri et Ecclesijs passim obtrudere. Et ut id posset, modò
ex Ascensione disparitionem facere, modò ~~pe~~ nescio quam oeconomiam fin:
gere, per quam exponi debeant, quaecunque veritatem corporis Christi ita
astruunt, ut crassam illam eius praesentiam atque manducationem evertant.

Hinc ergo tandem pugna exarsit, quam idem ille à nemine prouocatus contra D. Bul-
lingerum suscepit, in qua libelli vtrinque multi editi sunt, et cuius hic finis fuit
quod Eutychianismum palam defendere coeperunt, qui prius Schwenkfeldium, pri-
mum eius instauratorem, damnabant, aut saltem damnare videbantur. Huc enim
pertinent, quaecunque illi de dextera Dei et Christi gloria et maiestate subtiliter
disputant. Accedit his aliud dogma, quo nescio an quid aequè absurdum et pijs
auribus intolerabilius fingi possit: quo Christi corpus verum, reale et essentiale
non minus ab indignis et impijs realiter, oraliter, labialiter (ita enim isti
loquuntur) manducari contendunt. Cur verò Pontificios doctores reprehendimus
quaerentes, quid mures in Sacramento altaris arrodant, quid canes aut alia
animalia illud deuorantia edant: si nos illud impijs et à fide alienis (quorum
conditio longe infelicior est, quam murium, canum, porcorum, simiarum) come-
dendum et deglutiendum propinamus? Quis hic non exclamet: O tempora,
ô mores? De his ergo cum tui illius libri author, quisquis ille est, sobriè,
grauiter et piè disputet, eius industriam et studium vehementer probo: et
quantum conijcere possum, non magna inter illum et nos de toto hoc negotio,
vnde contentiones illae primum enatae sunt, controuersia est. Commodum verò
liber ille ad me allatus est, cum ex amicorum rogatu et Eutychianorum atque
Arianorum nostri seculi improbitate coactus, homilias de Incarnatione Filij
Dei scribere coepissem. Eas ad tuam Clem. mitto, vt legat et iudicet: simulque
rogo, vt alterum fasciculum nobili viro, D. Eberhardo à Broik, amico veteri
et fratri meo charissimo, reddi curet. Non dubito autem, quin D. Bullin-
^ mittat ^ gerus ^ responsionem nostram ad Brentij testamentum (si ita dici meretur
sine omni mente facta contestatio) nuper editum: quo nos non minus crude-
liter ~~et~~ quam falsò et impiè accusat: et nobis sanguinarios Arianorum cona-
tus exprobrat, qui hactenus pari ita studuimus, vt non vulgaria commemo-
rare possimus officia, quae in Lutheranos bello Germanico sedibus suis eiectos
contulimus. Et quid Senatus noster Illustriss.ª Wirtenbergensium ducissae
aestate superiore praestiterit, omnes norunt. Sed video plerosque istorum non
modò manifestos errores pertinaciter tueri, verumetiam humanitatem exuisse,
vt ne morituri quidem odia concepta expectorare possint. Deum Opt. Max. precor,
vt illis ignoscat, et mentem saniorem largiatur. Si de meis studijs quaerat
Clem. tua, sciat me hisce diebus homilijs meis in priorem ad Corinthios
finem imposuisse: et ideo nunc posteriori manum admoueo. Incertus verò
sum, an priorem solam edere conducat, aut num editio differenda sit,
vt suo tempore ~~[illegible]~~ simul ambae in lucem prodeant. Sed de eo post
nostri librarij ex nundinis reditum deliberabimus. Quae de nostris rebus
scribam, non habeo. Sunt hic satis pacata et tranquilla. Quid in Germa-
nia agatur, vobis quàm nobis notius est. Pax Gallica multis dubia et su-
specta est, et non desunt, qui eam turbatam vellent. Rex tamen eius constan-
^ per nos ^ tissimus vindex esse fertur. Transijt septima huius mensis ^ Legatus Regius
è Constantinopoli rediens, vbi toto quinquennio egit, vir magnificus sane,

qui cum prudentia multarum rerum experientiam coniunxit. Is mihi cum ipso Cœnati mira et stupenda de imani Turcici Imperatoris apparatu narravit. Decies centena millia virorum destinari ait, qui diversis in locis Venetos aggrediantur. Ipse ~~ser~~ Selimus cum maxima exercitus parte Corcyram petet: pars Zaram versus ducetur, alij alia loca infestabunt, ut Venetorum et sociorum vires distineant. In urbe Veneta et Senatu magna est trepidatio. Legatione ad Polonum et Moscoviae principem missa, auxilia petierunt: sed nequicquam. Cum Hispano quoque illis nondum plane convenit. Papae auxilium infirmius est, quam ut multum prodesse queat. Mense Decembri, cum M. Antonij Columnae, pontificiae classis praefecti triremes duodecim non procul a littore collectae essent, ignis aperto caelo delapsus navim praetoriam, qua Columna vehebatur, ~~inanis~~ incendit. Evasit ipse non sine periculo in aliam navim, quae et ipsa igne correpto perijt cum octo alijs. Columna cu cum paucis enatavit, inter quos Commendator quidam (ut vocant) eques Melitensis, Gallus natione, fuit, qui legatum regium comitatus mihi ista narravit. Videntur haec esse maioris mali praesagia. Apud nos tribus continuis noctibus inter octavam et nonam vespertinam caelum versus Septentrionem ardere visum est. Annonae charitas passim grassatur, maxime in vicinia Suevia, Bavaria, Austria. Bavariae dux fidei articulos conscribi curavit, in quos omnes iurare coguntur, et imprimis nobiles et cerrarum praefecti cum parochis. Confirmatur illis totus papatus, et Tridentini Concilij acta imprimis urgentur. Filia illius suo avunculo nubit Carolo Austriaco, cui nuptias illas Papa licitas fecit. Similis est inter Hispanum et Imperatoris filiam copula. Licent istis hominibus omnia: solis subditis non licet Christianis esse. Quid ergo irati Dei manum admiramur? Haec habui, quae Clem. tuae scriberem hoc tempore, quo multis alijs occupationibus gravor: oroque, ut epistolam rudem et festinanter scriptam benigne excipiat. Deus Pater Dni nri Jesu Christi Clem. tuam cum uxore et domo tota servet et regat ad sui nominis gloriam. Amen. Tiguri 16 Martij. Anno 1571.

Tuae Clementiae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generosiss.o domino
D. Ludovico, Comiti Vuit-
gensteinensi etc: domino suo
clementiss. et summa cum
reverentia observando.

ps 10 Apls A.o 71

5. 6.

S. Quas Excellentia tua ad me dedit nundinis vernalibus, literae mihi probè redditae sunt, et iucun-
dissima mihi fuit tuae in nos voluntatis significatio, quam ut meritò maximi facimus, ita o-
peram dabimus pro virili, ut illi saltem aliqua ex parte respondeamus. Utinam verò quam
tu deploras nostri saeculi conditionem, principes viri attentis animis considerarent, et reme-
dium tantis malis adhibere studerent, priusquam vulnus immedicabile factum communi pa-
triae exitium afferat. Albani stoma utinam non tam ~~mordax~~ verum quàm mordax esset.
Sed debet hoc Germania luxui et petulantiae suae, quibus vitijs iampridem addicta à
maiorum virtute degeneravit. Tenent Hispani Mediolanum, Belgicum quoque occu-
pant, et nunc in Burgundia sibi nidum parant. Quid ergo aliud speremus, quàm
ut prima quaque occasione Germanos undique aggrediantur, et vires nostras distra-
hant, ne in unum collatis auxilijs eorum conatibus possimus resistere. Quod sane illis
non adeò difficile factu fuerit, quando ubique locorum ingens est hominum venalium nu-
merus, qui illis pro pretio exiguo operam suam locare solent, ut sit, unde luxui et
gulae suae satisfaciant. Et Papam magnum quid et inauditum facinus moliri, mul-
tis argumentis deprehenditur, imprimis autem ex foedere illo famoso id colligi potest, quod
inter ipsum ^et^ Hispanum et Venetos coiuit. Praetexitur quidem bellum Turcicum, et
eae solummodo conditiones in vulgus sparguntur, quae ad illud pertinent: sed maius quid
interea illos machinari, non est dubium. Etenim Venetos praeter suam voluntatem
in foedus illud pertractos et tantummon minis gravissimis ad hanc societatem cum
Papa et Hispano ineundam coactos fuisse constat: cum non deessent ipsis rationes,
quibus pax cum Turcis fieri poterat. Sed quia hac alteris illis insidiosa visa est, infe-
lices diuturniori bello implicandos putarunt, ut tandem ipsorum opera ad res suas confi-
ciendas abutantur. Et sentiunt iam nunc, qui sub eorum ditione degunt Christi fideles,
tristem foederis istius fructum. Nam cum prius aliqua libertatis specie fruerentur,
nec aliquis in eos, qui quieti res suas agebant, severius inquireret, nunc Inquisito-
res sibi impositos esse sentiunt, quorum artibus et crudelitate miserrimè premuntur: adeò
ut ne exteris quidem porrò tutis et securis esse liceat. Quae causa est, ut Patavina scho-
la, quae hucusque prae alijs floruit, ~~tu~~ dilabatur. Interea nihil à socijs fieri audimus,
quàm quod in apparatu belli tempus consumunt, et Italiam militum inutilium turba
impleverunt, quorum aliquos Neapolim deducendos aiunt, ut classi 20 triremium ^
^imponantur^ quam illic Ochialis quidam pyrata parat, qui Aphricae ~~litora~~ littora iam aliquandiu
infestavit. Sed in longè alium usum milites illos conscriptos fuisse, nemo dubitat, ~~caeterum~~
sperata agendi occasione frustrati, nova consilia inire coguntur. Nuper prope Catta-
ron aliquot Venetorum centuriae à Turcis circumventae et concisae sunt, una cum du-
cibus suis, et triremes duae abductae ~~fuere.~~ ~~Nuper quidam amic~~ Nec ita pridem
quidam amicus meus singularis ex aula Sabaudica, ubi legationis functus erat,
reversus, mira mihi retulit. Incidit illic in Francum quendam, virum militarem,
qui annis circiter sedecim Golettae et alijs in locis in praesidijs fuit. ~~qui~~ ^is^ apud ipsum
de Germanorum moribus acerbissimè conquestus propriam quoque sortem deploravit.
Nam Hispanos contra Germaniam magnum quid moliri dixit, interque eos vulgò
audiri voces istas, quibus iactent, se totam Germaniam pervasuros et in maritorum
conspectu uxores eorum stupraturos esse. At nos ipsi (dicebat Francus ille) istos ho-
mines in patriae viscera armamus, nostrisque auxilijs feroces facimus. Possent equi-
dem minae istae facilè contemni: sed pondus illis magnum addunt mores nostri, qui
nos vix aliquid boni sperare sinunt. Romae fuit Alexander Palenterus, civitatis prae-

fectus, homo insolens et crudelis, qui cum Jesuitarum more viveret, et propter purioris fidei confessio-
nem damnatos diris supplicijs excarnificare soleret, apud Papam in pretio erat, et ut breui
in Cardinalium Senatum adscriberetur spem certam concepisse videbatur. Sed accidit pre-
ter omnium expectationem, ut in carceres ductus et Papae iussu illic capite plexus, cada-
ver verò eius populo spectandum exhibitum sit. Hoc ita gestum esse certis authori-
bus ## didicimus, facti autem causam adhuc plerique ignorant. Sed oportet eiusmodi e-
xemplis sedem istam illustrari, ut illic spiritum vertiginis dominari totus orbis terra-
rum videat. In Gallijs pax adhuc floret, et eius ~~vide~~ vindex acerrimus est Rex, qui in
eos, qui Rothomagi Martio mense per tumultum in nostros saevierunt, severissime a-
nimadverti curauit per Montmorantium Marisallum: quamuis longè aliud suaderet
Lotharingus Cardinalis, cuius authoritati multum decessisse fertur ~~dicunt~~. Legatos inter Re-
gem et Admiralium frequentes mitti aiunt, quid verò illi tractent ignoratur. Aprili
mense Synodus nostrorum Rupellae convenit, cui principes Christiani interfuerunt.
Actum illic de consensione in doctrina, de ecclesiarum instauratione, quas bellorum civiliū
motus dissiparant, de disciplina morum. Nos communes ad illam literas dedimus, quibus
de ijs illos admonebamus, quae facti necessaria videbantur. Rem ponderunt illi amice,
et quid inter eos actum sit, paucis exponam. Res cessit felicissime, et summo cum ani-
morum consensu ministri ad sua redierunt. Acta Synodi principes ipsi proprijs sub-
scriptionibus confirmarunt. Quis verò hoc unquam ante annos aliquot sperare ausus
fuisset, quando Pontificia Erinnys in toto illo regno indomitum grassabatur? Sed est
hoc singulare bonitatis et omnipotentiae Dei opus, qui tristes et procul dispersas bellorum
civilium reliquias novo hoc gaudio exhilarare voluit. Utinam idem ille tandem nostram
quoque Germaniam respiciat, et Theologos rixatores compescat, ut relictis inutilibus
et scandali plenis contentionibus, uno corde et ore Jesum Christum praedicent: non
qualem nobis Antichristus Romanus finxit, Jovi Elicio similem, sed qualem Apostoli
praedicarunt, qui peracto nostrae redemptionis in terris negotio, nunc in coelis regnet,
nos autem verò pascat, fovet, tueatur, regat, inque illis suo spiritu vivat et agat, quae-
cunque ad salutem eorum faciunt. Sed, ut audio, novae indies contentiones gliscunt, neque ali-
ud sperare licebit, quoad ambitioni et avaritiae locus fuerit, quas Ecclesiae pestes omni-
bus saeculis fuisse, historiae testantur. Haec in praesenti generosissime Domine, ad tuam
Excell.^am scribere libuit, quia te nostris delectari intellexi, et rogo ut verbositati meae
ignoscas. Gratissimum verò mihi fuerit, si nobilis vir et amicus meus singularis,
Eberhardus à Broik, tecum ista communia habeat, cui ego salutem plurimam dico,
eique officia mea omnia defero. Filium, qui hac hyeme Heidelbergae egit, statueram
aliquando in Hessiam mittere, ut amicos paternos illic per occasionem salutaret. Sed
num id fieri nunc possit, nescio: quia (nisi Francofurti propter novos rumores aut
periculum aliquod inexpectatum cogatur consilium mutare) ex mea voluntate in Angliā
proficisceretur cum Londinensibus mercatoribus, qui ad nundinas venire solent. Eum
si forte tuae Excell.^ae obvius fiat, rogo ad pietatis et doctrinae purioris studium ex-
horteris. Nihil in eo huiusque desiderari, sed probe scio iuvenes novis quotidie stimulis
excitari, qui eo efficaciores sunt, si à personis illustribus adhibeantur. Scribebat
mihi, quod nuper Augusta ad me scriptum est, et quod Excell.^ae tuae non incunundū
cognitum fore puto, si prius non audivit. Dum Carolus Austriacus Viennae in nuptijs
parandis occupatur, quas sub festum Bartholomei cum Bavari filia, sua nimirum ex
sorore nepti, celebrabit, Jesuitae quidam à Bavaro submissi (ipso nimirum consrio) cum suae

Jupiter Elicius ab eliciendis fulminibus dictus ut et Ovid. 3. Fastorum Eliciunt coelo te Jupiter &c.

sectae hominibus et aulicis quibusdam, Evangelicos ministros ex ditione Caroli eijciendos mandarunt. Itaque ordines ditionis eius novitate rei moti coeunt, et foedere facto, ad Carolum scribunt, quod si promissis stare voluerit, se quoque daturos quae promiserint: sin minus, ne teruntium quidem se numeraturos esse. Ita Jesuitarum et ipsius Caroli consilia elusa sunt. Dum haec scribo ex Gallijs nunciatur, Guisianos ex aula non bona cum gratia Regis abijsse, Guisium cum Nunctio non procul Geneva in Sabaudia esse: quae causa est, quod Genevenses excubias agant diligentiores. Magnae sese ubique offerunt propagandi regni Dei occasiones, quas utinam non ipsi negligeremus, aut etiam nostra socordia ne dicam perfidia, corrumperemus: dum plerique posthabitis ijs, quae ad Dei gloriam et publicam salutem spectant, sua modo quaerunt. Famagustam, quae sola in Cypro adhuc à Venetorum praesidijs tenebatur, à Turcis occupatam esse ex diversis locis scribitur. Quod si verum est, videre possunt Veneti, quid sperare debeant ex Papae et coniuratorum eius foedere: quando iam omnem spem Cypri recuperandae amiserunt, quae adhuc ipsis reliqua erat, cum locum munitissimum ipsi adhuc tenerent. Idem fortassis illis, quod olim Graecis, accidet: qui cum in Florentino Concilio se Romano pontifici subiecissent, et principibus in Occidente regnantibus magis amicis uterentur, non multo post Imperium cum Constantinopoli amiserunt. Scribo haec Urdorfi qui Tigurinae ditionis locus est, ubi aquarum calidarum balneo iam per tres septimanas utar, eò quòd alias mihi illas salutares expertus sum. Ignoscet ergo Excell.a tua lituris et rudi scriptioni, quam inter molestias et incommoditates loci illius effundere coactus sum. Deus Opt. Max. Excell.am tuam servet et spiritu suo regat ad sui nominis gloriam. 20 Augusti. Anno 1571.

Dum literas obsignare volo, ex Italia nunciatur, Turcam milites in Candiae portum quendam exposuisse, adeò ut illa quoque insula nunc in periculo sit. Corcyrae quoque partem à Turcis occupatam esse. Joannes Austriacus, qui cum Imperatoris filijs Genuam venit, inde Messinam profectus dicitur, ut milites collectos iam illic in Africam ducat ad Argerae regnum occupandum. Necessariò regna transmarina quaerunt, qui quae domi habent sua libidine et ignavia perdunt.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus



Generosissimo et illustri
domino, D. Ludouico,
Comiti Vuitgenstainio &c.
domino suo cum vene-
rentia obseruando.

psn 19 Sept Ao 71

5.9.

S. Accepi cum Excell.tiae tuae literis libellum, quo quaestiones tres ad causam Coenae Dominicae pertinentes excutiuntur:
de quo non aliud pronuntiare possum, quam authorem eius, quisquis ille sit, virum esse doctum, candidum et
ingenuum, qui quod res est libere edicat, neque ambiguis verborum praestigijs utatur: quales omnino
esse conuenit eos, qui de articulis controuersis volunt disserere. Neque in eius sententia quicquam desidero.
Zuinglius defendit Hoc solum mirarer, cur de re Christiana optime meritum virum, Zuinglium, nominatim carpat,
~~et eade~~ adeoque protestetur, se eadem cum D. Augustino loquentem audire nolle: nisi scirem multos
ex vestris hominibus minime malos neque indoctos, non tam praeiudicio proprio, quam aliorum calumnijs
atque mendacijs deceptos, Zuinglio sententiam affingere, quam is nunquam tradidit, multo
minus defendit: multos etiam propter suorum principum saeuitiam non audere aliquam Zuinglij mentionem
facere honorificam, cuius nomen Lutherus suis conuitijs ita conspersit, vt ad illud ceu Cacodaemonis
cuiusdam, multi exhorrescant. Quae causa est, vt nec libros eius tuto comparare, neque
ex illis veram ipsius doctrinam cognoscere possint. Itaque ab aliorum relatione pendent, qui vel causam
quae inter ipsum et Lutherum controuersa fuit, nunquam ~~recte~~ recte cognouerunt, vel etiam malitiose
aliqua modo illius dicta excerpunt, ex quibus colligere possint, eum Sacramentis minus, quam
Bucerus reprehenditur par est, tribuisse. Hac certe astutia (ne quid dissimulem) Bucerus olim, cum nescio quo zelo
inter nos et Lutherum concordiam facere conaretur, multis imposuit, quod ~~tot~~ tam Lutherum
quam Zuinglium aliter sentire diceret, quam illi reuera sentirent: In quo virum celeberrimum
Caluinus a Bucero deceptus 1 ro 1 D. Caluinum, sic decepit, vt libellum scriberet, in quo vtrumque damnauit, cum neque huius neque
illius sententiam recte cognouisset, vtpote Germanici sermonis ignarus, quo illi in hac controuersia
fere vsi sunt. Idem vt Luthero et nimijs huius admiratoribus magis propitijs vteretur, locutionibus
quoque in Buceri fabrica confictis uti coeperat, ambiguis, obscuris et intricatissimis: adeo vt Galli:
cae Ecclesiae eum suspectum haberent, ideoque his illum vrgentibus consensionem nobiscum faceret,
in cuius praefatione id quod dico non dissimulat. Haec ideo nunc attingo, vt ostendam, mihi non
vsque adeo mirum videri, si ij Zuinglio minus aequi sint, qui eius sententiam nunquam propius
Zuinglij dogma defendit. inspexerunt. Quapropter quod Scriptor ille facit, aequius fero. Quod si vero idem ille Zuinglij libros
diligentius excussisset, videret in illis contineri quaecunque ipse toto suo scripto docet, et quod
nos hodie docemus. Certe quoad Caput Joannis Sextum, tantundem ijsdem verbis Zuinglius
docet, non quidem de Coena Dominica illic sermonem institutum esse, sed totum illud mysterium
eo loco explicari disertis verbis, cuius sigillum postea nobis in Coena est datum. Locus in eius
** Et in Marpurgensi colloquio eiusdem loci authoritate ipsimet Luthero restringit, sicuti Acta per iuratum Notarium excepta testantur.* amica Exegesi ad Lutherum extat, vt de alijs libris eius nunc nihil dicam. * Cum ergo manducationem
corporis Christi, quae in Coena fit, per eam quae Joan. 6 docetur explicet, hac ipsa
salutarem illam, quae nobis cum Christo intercedit, communicationem siue communionem comprehendat,
qua ratione Zuinglius illam negare dicitur. Probat Scriptor ille tuus D. Augustinum
dicentem: Crede, et manducasti. At si hoc ipsum Zuinglius dicat, recte dictum esse negat.
Rationem huius sui oraculi affert hanc: quia Zuinglius fidem doceat, quae non totam, quae
nobis in Christo facta est, promissionem, sed eius partem modo apprehendat, illius meriti
videlicet, communionem vero, quam cum eius corpore et sanguine habemus, excludat. At ego
hanc Zuinglij sententiam fuisse nego: et vel vnicum iota ex eius scriptis proferri velim, quo
nos cum Christo et corpore eius communionem habere neget. Fateor equidem, eum in disputationibus
cum Luthero de Coena Dominica, non adeo solicite tractasse communionis huius
mysterium: quia ipsi nulla de eo cum Luthero lis erat (vt nec Marpurgi fuit, quando in
Vide eius Confess. minorem. solo Coenae articulo non potuerunt conuenire, qui ipso Luthero teste in alijs probe consentiebant.)
sed tum de solis symbolis et corporali Christi praesentia et manducatione contendebatur,
quam Lutherus eandem cum Papistis docebat, adeo vt Can. Ego Berengarius, probaret: Zuinglius
vero spiritualem esse sentiebat, et fide perfici. Idem vero nunquam interea negauit, nos per fidem
sponsam Christi fieri et cum ipso in vnum corpus coalescere, et huius communionis symbolum siue arrham
nobis in Coena exhiberi. Imo, quoties locum Pauli 1 Cor. 10 Nonne panis, quem frangimus,
Locus Pauli 1. Cor. 10. explicatur. communio corporis Christi est &c. tractat, quem Lutherus de corporis Christi distributione exponebat,
illo diuersum sentiens, docet, nos dum panem simul frangimus, ea actione certos fieri simulque
alijs testari, quod ad eum coetum pertineamus, qui corporis et sanguinis Christi coetus est, adeoque
ipsius Christi corpus est, cumque ~~et~~ illius corpore et sanguine communicat. Ita in epist. ad Matthaeum

Alberum scribit: Qui autem sunt corpus Christi? Quorum ille caput est, et ipsi eius membra. Cuiorum est
caput? Qui eum sequuntur, qui ei fidunt. Quae membra? Hi ipsi, quos diximus: et membra cum tam
numerosa sint, unum tamen corpus fiunt: non tandem cum edunt hunc panem, et bibunt hunc ca-
licem, sed quamprimum credunt huius commuunij authorem, Christum Jesum, pro salute nostra mor-
te et ignominia coronatum. Item: Panem nobis dedit Christus, ut eum simul edentes in unum ipsius
corpus coalescamus, modò prius coelestem panem (ut Joan. 6 docuit) ederimus. Hoc autem corpus
Ecclesia Christi est: Unde fit, ut et nos qui corpus eius sumus, panis appellemur. Nam hoc pane nos
fratribus probamus membra corporis Christi esse. Et hoc quidem cum D. Augustino dixit Zuing-
lius, qui tract. in Joan. 26 scribit: Hunc cibum et potum societatem vult intelligi corporis et mem-
brorum suorum, quod est sancta Ecclesia. Quae verò ad Matthaeum Alberum ille dedit, eadem postea in o-
mnibus fere libris in hoc argumento contra Lutherum aut alios editis repetijt. Addi his possunt
Oecolampadij verba, qui cum uno libro utrque ad Lutheri Confessionem Maiorem responderent, de
isto Pauli loco sic scribit: Eadem ista panis fractio ostendit et significat, quo pacto veram co-
munionem habeamus in communi illo et vero corpore Christi, quod omnibus nobis communiter
dono datum est, et in omnes nos per diuinam gratiam est distributum, cum scilicet propter
nostram salutem sit mortuum. Adhaec in Comentarijs de vera et falsa religione Zuingl. de Eccle-
sia disputans, inter alia ait: Sequitur ergo, quòd qui credunt Christum ita nos dilexisse, ut seipsu
pro nobis sanctificandis traderet, Christi Ecclesia sint, et ab omni ruga et macula alieni: Nam Chri-
stus eos ad hunc usum mundauit, ut sibi copularet. Agnouit igitur Zuingl. in coniugio, ubi duo
una caro fiunt, communicationis Christi et Ecclesiae, adeóque singulorum huius membrorum, typum
esse. Quomodo ergo communionem illam ignorare, vel negare potuit, quae nobis cum Christi corpo-
re et sanguine intercedit? In libello certe ad Regem Christianum, Sacramentorum virtutes expo-
nens, in septima sic dicit: Populus ergo Christi, cum eius corpus sacramentaliter edendo in unu
corpus coniungitur, iam qui perfidus est, attamen se huic societati audet insinuare, corpus Chri-
sti prodit tam in capite quàm in membris: Quia non dijudicat, hoc est, non tanti aestimat cor-
pus Domini, cum quod pro nobis ille tradidit, tum quod illius morte liberatum est. UNUM
enim corpus cum IPSO sumus. Num ergo communionem, quam cum Christi corpore et san-
guine habent credentes, adhuc negare dicitur Zuinglius, qui nos unum corpus cum illo esse
fatetur? Et in eodem libello sub finem: Christum credimus *verè esse in Coena, imò non cre-
dimus esse Domini Coenam, nisi Christus adsit. Et mox summam suae doctrinae de Coena comple-
ctens, addit: Asserimus ergo non sic carnaliter et crassè manducari corpus Christi in Coena,
ut isti perhibent: sed verum Christi corpus credimus in Coena sacramentaliter et spirituali-
ter edi à religiosa, fideli et sancta mente, quomodo et D. Chrysostomus sentit etc. Et huius
generis multa passim sunt obuia, quae fidelem illum Christi seruum apud aequos indices faci-
le liberant à calumnia, qua communionem credentium cum Christi corpore negasse, aut so-
lum Christi meritum, non autem ipsum Christum totum à nobis apprahendi, docuisse dicitur.
+ Esto autem de communione corporis [struck out] et sanguinis Christi nullum unquam [struck out] verbum fe-
cisset Zuinglius, quando contra crassum illud corporalis praesentiae dogma disputauit, num
ideo dignus erat, quem Christiani homines odio implacabili persequerentur, et cuius non nisi
cum contumelia meminissent? Etenim constat, eum de fide, de iustificatione fidei, de tota
denique summa salutis, quae absque communione cum Christo consistere non potest, ea docuisse,
quae neque Lutherus neque quisquam alius orthodoxorum nostri saeculi improbare potuit.
Quoad verò odiosum illud de Coena Domini certamen, negari non potest, illum primum
nostro saeculo hanc glaciem fecisse, quam nemo ante illum attingere voluit, Lutherus autem
ab eo non infeliciter fortasse nescio quo consilio reficere et sarcire conatus est. Et ut demus
hoc aduersarijs, Zuinglium non omnia dixisse, quae de Coena dici possunt, ea tamen quae dixit
dictu necessaria fuerunt, et nisi ea publicè innotuissent, alteris illis, qui rem postea dilucì-
dius explicauerunt, non fuisset locus, aut certè non tam facilis et comoda fuisset suam senten-
tiam dicendi [struck out] occasio. Quae autem haec iniquitas? quam item enormis ingratitudo est,
fidelem Christi seruum propter aliquam doctrinae partem, non malitiosè corruptam, sed omissã

Summa sententiae Zuinglij de Coena.

Zuinglius bene de Ecclesia meritus, primus glaciem fecit.

Loc. Pau
s exponi

Loc. Pauli ad Eph. 5 exponit.

Sed non sufficiunt ista, quod sat scio, quibusdam, qui sublimius quid traditum locum Pauli ad Ephes. 5 urgent: Quoniam membra sumus corporis eius, ex carne eius et ex ossibus eius. Agnoscimus nos quoque Apostoli verba, et ex eis dulcissimam consolationem sentimus: at si illi ex his realem .i. corporalem et vero carneam novae alicuius substantiae in nobis generationem colligere velint, fatemur, nos illorum sententiam probare non posse. Nam quoad hanc, Christus ex nobis carnem et ossa et sanguinem assumpsit, non autem nos ex illo. Et Paulus ipse se mysterium magnum tradere dicit, quod nimirum spiritu solo perficiatur, non ullo actu corporeo. Sed praestat loci illius sensum statim spectare. Disserit illic de coniugio et mutuo, quem sibi debent, coniugum amore, sive officio. Utque magis moveat eos, qui de illo minus honorifice sentiebant, Christi et Ecclesiae exemplum adducit, quo vix aliud est in Scripturis usitatius: et ad Evae creationem alludens, iubet, ut quemadmodum Christus Ecclesiam suam, quae corpus et caro ~~est~~ est ex carne eius, amat, fovet, tuetur, servat et omni studio prosequitur: ita vir quoque suam uxorem diligat, utpote quae et ipsa caro sit ex carne eius, et os ex ossib. eius, secundum illud: Erunt duo in carnem unam. Quod si quaeras, quomodo hodie mulier caro viri, aut ex carne viri esse dicatur, cum illa non ex eo, ut olim Eva ex Adami latere, desumatur. Nemo opinor ad generationem aut procreationem illius recurret. Ita enim eadem statueretur mulierum omnium erga quosvis viros obligatio, quae Platonicam mulierum coitionem nobis pareret. Sed quod Adam verissime et proprie dixit de Eva suae generatione ex sua costa, hoc ipsum hodie quivis maritus, non de omni muliere, sed de sola uxore sua, dicere et sentire debet: non quia mulier est, sed quia uxor est ipsius. Etenim quoad generationem physicam, viri potius ex mulierum carne et ossibus, quam haec ex illis procreantur: ut quae plus quam hi ad humani generis generationem et procreationem conferant. At si coniugij vinculum spectemus, quo mulier viro devincta est, nimirum ut corpus suo capiti, eadem vero ex viri carne et ossibus esse dicitur. Quis enim diversas capitis et corporis naturas sive substantias fingere possit, quin monstrum fingat, quale nullum in rerum natura est. Haec si ad Christum et Ecclesiam transferamus, mox patebit, ut Pauli verba accipi debeant: Nimirum, quod illius membra, ex eius carne et ossib. esse dicamur, non quod ex ipso naturaliter procreati simus, aut quod ille physica quadam aut corporea commixtione seu transfusione assumptam ex Virgine carnis substantiam in nos transferat: sed quod ipsius Ecclesia, quae ipsius corpus, et cuius ipse caput est, facti sumus. Etenim, ut alibi Apostolus monet, ideo omnes unum corpus esse dicimur, quod omnes ex uno spiritu participamus, qui non alius quam Christi Spiritus est. Unde vero (dicat aliquis) origo est Ecclesiae? quae eius nativitas? Huic cum Paulo respondemus: Ex Christi carne et ossib. i. ex aeterno Dei Filio, qui homo factus seipsum pro nobis in mortem tradidit, ut sanguinis sui pretio ablutos sibi sponsam, adeoque carnem suam faceret, sicuti primus Adam olim de sua Eva dicebat. Nisi enim Christus carnem nostram assumpsisset, et eam pro nobis tradidisset, ut mortis sui merito redemptos sibi copularet, nos certe neque ipsius corpus et membra, neque eiusdem Ecclesia sive Sponsa dici possemus. Et huic sensui pulchre favet typus, qui in ~~Ecclia~~ Adamo praecessit. Ex huius sopiti latere Eva prodijt, quam suam carnem esse, illico agnovit: Ita ex Christi pro nobis crucifixi, et in cruce transfixi, morte Ecclesia nata est, quae cum ex ipso nata sit, rectissime ipsius caro dicitur. Tota igitur Ecclesiae generatio spiritualis est, atque spiritu et fide perficitur, quae nos renatos Christo inserit, ut ex ipso semel pro nobis in mortem tradito vitae spiritum ipsamque vitam hauriamus. Est hoc magnum illud mysterium, de quo in praesenti Paulus loquitur, quod ut captum nostrum superat, ita salutem omnem et salutiferam, quam cum Christo habemus communionem comprehendit. Et haec nos sufficere putamus Christianis hominib. qui non quis loquatur, sed quid dicatur, observant. Hanc vero doctrinam iam inde ab initio Restituti Evangelij in Ecclesia Tigurina traditam esse, omnibus constat qui vel ipsum Zuinglium vel D. Bullingerum ~~et~~ eius successorem, aliosque in ministerio collegas audiverunt.

solum, quia de ea disserendi locus non satis commodus videretur, perpetua infamia notari apud Ecclesias,
eius autem adversario parci, qui fortissimum Antichristi propugnaculum prorsus intactum reliquit,
imò ab alijs suffossum et iam ruinae proximum fulcivit, ne collapsum stragem daret toti Papatui
exitialem. At quis hoc Lutherum fecisse negabit, qui eius de hac causa libros inspexerit, in qui-

Luth: Antichristi ppugnaculu fulcivit.

bus postrema quaeque prioribus deteriora sunt, magisque ad Papisticas superstitiones confirman-
das faciunt. Qui enim initio Transubstantiationis figmentum negabat, paulò post se de ea cum ne-
mine contendere velle dixit: nimirum quòd videret τὸ ῥητὸν in verbis Coenae, Hoc est corpus
meum, huic magis favere, quàm suae Consubstantiationi, qua ipse in Coena cum pane carnem Christi
porrigi et accipi docebat, et ideo panem illum mysticum novo vocabulo ein fleischbrot dicebat.
Nec eo contentus, postea se idem cum Pontifice Nicolao V sentire protestatur. Adhaec in suis con-
tra Lovanienses articulis Eucharistiam adorabilem dixit, quem ego librum puto postremum
fuisse, qui ex eius officina prodijt. Quid verò est ex Sacramento Deum facere, si hoc non est?
Annon ergo magis necesse erat hos eius errores confutari, qui dum sub eius nomine prostant,
multos vehementer offendunt, multos item in superstitionibus retinent, quàm Zwinglij no-
men omnibus exosum facere, qui superstitiosis erroribus et opinionibus falsis tam fortiter re-
stitit, ut puriori doctrinae locus esset. Nam si non omnia dixisset Zwinglius, poterant quae

Luth: graviter reprehendit

hic omisisset ab alijs addi, ut plenam haberemus de hoc articulo doctrinam. At quae modò ex Lu-
theri scriptis adduximus, eiusmodi sunt, ut nulla additione perfici, imò ne corrigi quidem possint
nisi ea in universum auferas: Nam tota quanta sunt, falsa sunt, superstitiosa sunt, papisti-
ca sunt: id quod nostri praeceptores abunde olim demonstrarunt. Porro, ut supra diximus,
non praetermisit ea Zwinglius, quae ad veram communionem corporis et sanguinis Christi
faciunt: iniuria autem ipsi atrox fit, quando ei affingitur Anabaptistarum sententia, quos nemo
acrius et felicius illo oppugnavit. Nolim at hac ita accipiat Excell.a tua, quòd ego Lutherum

Mitigatio superiorum

publicè infamia aliqua notari cupiam. Agnosco enim eum Christi servum fuisse, et quamvis
in hac causa nimis crassè hallucinatus sit, in multis tamen alijs bonam operam praestitisse
Ecclesiae: imò eius authoritatem contra communes hostes, Papistas, defendi debere dico: et si
quid ego in ea re possem, officio meo nunquam deesse velim. In ijs solum aequitatem desidero, qui
omnia eius pro oraculis habent, et quasi nihil humanum pati potuerit, eos perpetuo odio et
ignominia dignos censent, qui in aliquibus ab illo non sine ratione dissentiunt. Nec videre possum,
quàm utile sit, tot tantorumque virorum authoritatem conculcari solius Lutheri causa, cuius erro-
res multò plures annotare possemus, si idem nobis animus esset, quem apud eos esse cernimus,
qui vix decem versus scribere possunt, quin odiosam faciant Zwinglij mentionem. Condonabit at
mihi Excell.a tua hanc meam verbositatem nimis fortasse audacem, qua querelas meas in tuum
quasi sinum effundo. Nam movit me tuae epistolae lectio, qua tua Excell.a non absque gravissima
ratione de insatiabili Theologorum quorundam contendendi libidine queritur, qui de Ecclesiae ae-
dificatione rarò, aut etiam fortassis nunquam cogitant, toti at in eo sunt, ut fidis operarijs nova
quotidie negotia faciant, quibus horum labores impediantur. Istos aliqui placari posse putant, si co-
thurnos verborum fabricent, aut ijsdem cum illis loquendi formulis, sensu tamen non tam crasso,
utantur. Sed ego rem eò devenisse video, ut nullus porrò simulationi aut indulgentiae locus sit, sed

Nullus simulationi locus.

scapham scapham, ficum ficum dicere oporteat. Exemplo sunt nobis Vitenbergenses Theologi, qui
etsi modestissimè hanc causam hucusque egerint, et nuper in sua consensione Dresdae facta, non
Confessionem modò Augustanam et quaecunque huic cohaerent, verumetiam omnia alia scripta,
quae ex Saxonicis Ecclesijs atque scholis in hac causa prodierunt, se approbare testentur, Ienensi-
bus tamen adeò non satisfaciunt, ut in illos acerbius multò quàm antea stilum strinxerint,

Ienensium acerbitas notatur.

et ea requirunt ab ijs, qui veri et ingenui Lutherani dici volunt, quae nemo Christianus salva
pietate fateri potest, et nisi Christi corpus reale et naturale non modò omnipraesens esse, verum-
etiam ore corporeo à pijs simul et impijs, dignis et indignis manducari dicas, haereticum
et à Lutheri doctrina alienum te esse pronuntiant. Etenim ut hic neminem ferre voluit, qui quae
crassissimè ab eo dicta erant, commodiori interpretatione molliret: ita isti quoque se tum demum ve-
rè Lutheranos fore sibi persuaserunt, si non crassè modò, sed Cyclopicè etiam loquendo praeceptore

suum superent. Fateor equidem modestiæ studendum esse, et huic nos hactenus studuisse omnibus constare
puto, qui vel nos audiunt, vel scripta nostra legunt: at non possumus ideo aliter loqui quàm sentimus,
neque in alicuius gratiam eos damnare, qui de toto Cœnæ negotio rectius et religiosius scripserunt, quàm
ille, qui nescio quo zelo sese eis opposuit. Etenim leonina sunt ferè adversariorum nostrorum inge:
nia, quæ curari nulla ratione possunt. Nam quò magis quis sese illorum sensui accomodat, eo feroci:
us illi calumniatorem esse clamant; qui aliud animo sentiat, et insuper Augustanæ Confessioni et
ipsi Luthero sententiam alienam affingere conetur. Quod enim nunc Vitenbergenses patiuntur,
hoc ipsum iam ante D. à Lasco et Calvino accidit, qui cum Confessionem illam tolerabili expositi:
one mitigare et secundùm fidei analogiam dirigere vellent, crabrones istos magis irritarunt.
Sed ut redeam ad scriptum illud, de quo cœperam, rursus fateor, mihi probari hominis illi:
us, mihi ignoti, sententiam: neque eum in eorum censu colloco, qui malitiosè (ut hactenusque dixi:
mus) Zuinglium et nos proscindunt. Meo tamen iudicio cauctiosius ~~fecisset~~ fuisset apud
nobilem illam matronam, in cuius gratiam hæc scripsit, si Zuinglij nullam prorsus fecisset men:
tionem. Nam si eadem cum ipso dicentes audiat ^illa^, quos Zuinglij non ita pudet, mox ab eis ab:
horrebit, et doctrinam hanc omnem, quæ à Luthero dissentit, ut Zuinglianam, habebit suspe:
ctam. Atqui, si verum fateri libeat melius de re Christiana meritus est Zuinglius, quàm ut
nomen eius odiosè perstringi, nedum exibilari debeat. At quia in re ipsa consentimus, non
puto nobis ob Zuinglij nomen multam posthac ~~nobis~~ controversiam fore: et huic fratri no:
stro omnia læta et felicia precor. Cupimus equidem nos operas nostras cum omnibus fideli:
ter conferre, qui in Domini vinea laborant, nec aliquem fratris nomine dedignamur, qui Je:
sum Christum, unicum salutis nostræ authorem nobiscum profitetur. Quòd si hoc ipsum à qui:
busdam impetrare non possumus, quibus nulla mentis nostræ explicatio sufficit: cogimur qui:
dem istos suo iudicio relinquere: nobis at satis est, quòd nullius fraudis nobis conscij su:
mus, neque propterea desinemus eos amare, ~~[illegible]~~ qui vel ex ignorantia, vel præiudicio aliquo, de
nobis sinistrè loquuntur: hoc solum eos monemus, ne Dei partes sibi sumant, dum corda no:
stra altius scrutari volunt, neue de alienis servis temere pronuncient. Faxit Deus Opt.
Max. ut tandem omnes in ipso unum et idem sentiamus atque loquamur ad nominis sui glo:
riam et Ecclesiæ suæ ædificationem. Quæ apud nos feruntur, ea ad nobilem virum et
amicum nostrum communem, D. Eberhardum à Broik, scripsi, qui tuæ Excell.ae illa commu:
nicabit. Ego in posterioris ad Corinth. epistæ Capitibus ^postremis^ adhuc versor, prodibit tamen, ut
spero, utraque ad nundinas autumnales. Christus Jesus Excellentiam tuam cum genero:
sissima coniuge et tota domo incolumem servet atque Spiritus sui donis augeat. Amen.
Tiguri 12 Martij. Anno nati Christi 1572. Quia Consensionis nostræ cum Calvino facta
supra mentionem feci, quam fortassis nunquam vidisti, eius exemplum ex libro quodam excerptum (quia venale nullum
amplius extat) mitto. Proderit huius lectio ^contra eos^, qui alios in huius viri scriptis locos obscuriores pro sua libidine
torquent. Hic enim seipsum ille interpretatus est.

Tuæ Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

[illegible] 1.

Generosissimo et illustri Domino,
D. Ludouico, Comiti Vuitgenstei
nio &c: domino suo cum reueren:
tia obseruando.

Pr 11 Aptis A° 672

5:12

S. Etsi de tuae Excellentiae erga nos favore atque benevolentia nunquam dubitaverim
Illustris et generose Domine, mihique plurimum observande, ex quo inter nos coepit mu-
tuum scribendi commercium, confidentiorem tamen (ut sic dicam) me fecerunt postre-
mae tuae literae, quibus nos tanti abs te fieri video, ut nos amicorum loco agnoscas,
qui nec loci dignitate, nec genere, ut nec quoad alias fortunae dotes tibi conferri
meremur. Itaque non putavi me rem tuae Excellentiae ingratam facturum, si quod
publicum meae erga te observantiae testimonium ederem, ideoque meas in po-
steriorem D. Pauli ad Corinthios epistolam homilias sub tui nominis illustri
auspicio in lucem prodire volui. Rationes mei instituti, cum eas in praefa-
tione exposuerim, hic repetere non est opus. Hoc autem ~~me~~ à tua huma-
nitate me facile impetrare posse puto, ne hoc quicquid feci alio animo arripias,
quàm quo abs me factum est, tui nimirum studiosissimo. Argumentum
quoque, quod et in Praefatione aliquanto liberius tracto, et de quo Aposto-
lus per totam epistolam graviter et copiosè disserit, tuae pietati commendo
putavi, quando qui summis rerum gubernaculis praesunt, religionis causam fe-
re negligunt, et proinde nimis horum quoque querelas nihil ad se pertinere
arbitrentur. Videntur hi multum posse sua authoritate et potentia, sed utinam
plerique causae optimae non officerent suo exemplo, dum illam nimis oscitan-
ter praetereunt. Te autem tuique similes non modò multum posse, veru-
etiam multum praestare video, dum vestro favore ministris Ecclesiarum ani-
mum additis, simulque alijs authores estis, ut aliquanto aequius de illis
et tota Veritatis doctrina iudicare discant. Optas tu, ut omnes consensui
studeant, et nos hoc ipsum iam diu precibus assiduis apud Deum expetimus.
Sunt tamen quos neque suarum opinionum iam lippis atque tonsoribus (quod
aiunt) absurditas, neque Ecclesijs undique imminentia pericula permovent
ut animos et vires suas nobiscum coniungere velint, qui nihil perinde atque
illorum amicitiam ambimus. Spem bonam nobis fecerunt nuper Vitember-
genses, qui de controversis quibusdam articulis ita iam semel atque iterum
scripserunt, ut illos causae totius Veritatem intelligere mihi non sit dubium.
Adversarios habent Theologos Ihenenses, qui totius ferè Saxoniae Ecclesias
suis classicis contra illos excitarunt. Sed quo magis hi furiunt, eò apertius
suam ignorantiam produnt, in qua eò usque progressi iam sunt, ut quod
sciunt nescire velint, et magno studio tenebras accersant, quibus intra
animos suos sese exerentem Euangelij lucem obscurent sive remorentur.
Audio tamen Illustrissimum Electorem Augustum, qui causae nostrae prius
iniquior esse videbatur, nunc aequiorem factum esse. Ut ante annos quin-
quaginta Papatus propria mole depressus ruere coepit, ita illis hominibus
accidere video, ut quò magis cupiunt Lutheri germanos discipulos agere,
eò plures suarum opinionum absurdissimis commentis à sese alienent. Fa-
xit aliquando Deus, ut apertis oculis puriori doctrinae locum dent et
videre incipiant, quàm multa adhuc ex Augiae illius Romani stabulo
expurganda restent, de cuius reformatione ipsi iam diu nimis superbè
gloriati sunt. Sed video me longius progredi, quàm initiò statueram,
tuam ergo Excellentiam rogo, ut hanc quoque culpam mihi condonet.
Nunc ad res meas venio. Filium meum neque regionis vestrae neque
itinerum asperitas (quod suspicaris) absterruit, quo minus per Hessiam
iter faceret in Angliam profecturus, sed mihi obsequi volentem comitum
contraria voluntas retraxit. Fuerunt hi Angli mercatores, quibus illum ex

meo iussu Froschouerus commendarat, et quos ille non potuit tutò deserere. Voluerunt illi
secundo Rheno Coloniam usque descendere, et inde Hamburgum proficisci. Sed muta-
to consilio in Frisiam deflexerunt, quòd traiectum ex Emda in Angliam breviorem
et faciliorem sibi pollicerentur. Sed non admodum feliciter hoc eis cessit. Nam
cum hebdomadibus novem illic haesissent, et bis navi conscensa solvissent, toties
in portum reiecti sunt, et vix tandem post longam molestiam Decembri demum
mense in Angliam appulerunt. Londino ad me scripsit filius quinta Junij,
quo die eius consobrinus, Zuinglius, illic obijt. Fuit eius obitus meo valde
ingratus, se tamen satis commode agere indicat in Cantabrigiensi Academia. Ex-
pecto quid literarum hisce nundinis daturus sit. Accipiet Excellentia tua meas
in utramque ad Corinthios lucubrationes in duos codices divisim ligatas. Cuperem
his ambas uno volumine comprehensas, quod amico meo veteri D. Eberhardo
à Broick transmitti cupio, et ut hoc officium tam huic quàm mihi Excell.a tua
praestare dignetur, vehementer rogo. Nos hic admodum solicitos tenet belli
ab Aurangio contra Albanum suscepti eventus. Est conatus ille multa lau-
de dignus, siquidem serio et prudenter et fortiter res geritur: quod omnino
facto opus erit. Magna est Hispani potentia, gentis illius indefessa indu-
stria, audacia cum crudelitate singulari coniuncta. Cum quibus si nostrorum
hominum nimio luxu sponte accersitam egestatem, confidentem socordiam
et ex crapulae gulaeque studio nascentem somnolentiam confero, quid spe-
rare possim non video, quid metuam scio. Gallis res initio statim infe-
liciter cessit. Nam (ut iampridem ad te perlatum puto) qui illuc contende-
bant, ut Montium obsidione liberarent, et misere oppressis Belgis opem
ferrent, plerique aut capti aut caesi sunt. Abierant illi iniussu Regis (ut
ferebatur) sed Rex cladem istam aegerrime fert. Et sane meritò nobis do-
lere debet optimorum et fortissimorum virorum interitus. Ita verò regni sui rationes
Christus administrat, ut ipsi soli cedat omnis gloria: utque Amorrhaeorum
iniquitates impleri oportet, ita numerus quoque sanctorum compleatur ne-
cesse est, quorum animae sub magno illo altari pro vindicta clamant ad
Dominum. Venetorum res satis in angusto loco, adeoque in Adriatico mari
sepultas esse, nuper Italus quidam scribebat. Ad Castrum novum, quod diu obse-
derant, ingentem cladem acceperunt, et eorum copiae tantum non ad internecio-
nem caesae sunt. Zaram quoque captam à Turcis esse quidam aiunt, unde
facilis et brevis est in Marcam Anconitanam traiectus. Hispanam tamen classem dimi-
ssam esse, et Joan. ab Austria cum altera parte in Hispaniam properare dicitur,
ut rebus in Belgio periclitantib. opem ferat. Nuper rumor de pace inter
Venetos et Turcas spargi caepit: sed is iam totus conticuit. Non dubito illos
belli iampridem taedere: sed foederis sacri compedibus constricti pedem non pos-
sunt retrahere. Imminent undique christiano orbi pericula, magis tamen metuendi
mihi videntur, qui illum intestinis simultatibus et aperta quoque vi tur-
bant. Norfolcium ducem, qui coniurationis contra Elisabetam Angliae reginam
factae princeps fuit, 2 Junij capite truncatum fuisse, iam te audivisse
puto. Ita enim ad nos scribit Eliensis episcopus. Scotiae regina arctiori
carcere iam detinetur, et iam conscripta fuerunt Junio mense actionis
contra illam institutae capita, quae omnia eiusmodi sunt, ut crucem spi-
rare videantur. Vicini nostri Papistae ob felicem in Gallijs Evangelicae doctri-

ne progressum ringuntur, et multi animis à Gallo alienatis non obscurè Hispani:
zant. Non possunt tn̄ aliquid, cum neque ipsis inter se conveniat. Durabit lucta
haec inter Dei semen et serpentem ~~veterem~~ veterem, quam Deus in paradiso olim
sanxivit. Det idem hic nobis, ut cum Chro vincamus, et Satanam sub ñris quoque
pedibus conterat. Haec ad tuam Excell. nunc dare potui inter plurimas occu:
pationes, quae me literas vix relegere, nedum describere sinunt: quare lituris
ignoscas rogo. Deus Opt. Max. Excell.^{am} tuam cum tota domo servet, bonisque
cum corpalib. tum spiritualibus indies magis magisque augeat. Tiguri
20 Augusti. Anno 1572.

Tuae Excell.^{ae}

deditissimus

Rodolphus Gualtherus.

Generosissimo et Illustri Dño.
D. Ludovico à Seyn, Comiti
in Witgenstein etc: domino
suo cum primis observando.

[illegible] 13 Sept. Aº 72

Gualtherus homilias in posteriorem ad
Corinthios e dedicat

Generosissimo et Illustri Dño,
D. Ludouico à Seyen, Comiti
in Vuitgenstein &c: domino
suo cum reuerentia obseruando.

p[s] Francofurti 13 Sept. A°. 72

5. u

S. Iucundum mihi fuit Ludovice Comes, Domine mihi haud vulgariter observande, probatam fuisse
tuae Excell.ae epistolam meam, qua meum de scripto cuiusdam viri non indocti nec maligni in re
Sacramentaria iudicium exposui, simulque eximium Jesu Christi servum, D. Zuinglium, ab eorum
calumnijs vindicavi, qui vel odio vel ignorantia ei tribuunt, quae ille neque unquam sensit, neque verbo
aut scripto prodidit. Et liberius quidem egi hanc causam, quod mei officij esse putarem, nihil apud
te dissimulare, qui ut iudicio vales, ita pro singulari tuo erga pietatem studio, non ab hominum
authoritate, sed ab aeternae Veritatis verbo pendes, et proinde non offenderis ijs, quae pro huius de-
fensione adversus eos dicuntur, quorum authoritatem aliqui sacrosanctam esse volunt, adeo, ut omni
rationum loco illis sit Pythagoricum illud, αὐτὸς ἔφα. Enimvero nos Lutherum eximium Dei et
Ecclesiae eius servum fuisse semper confessi sumus, et ingrati nimis sunt, qui hanc laudem illi vel
negant vel invident. Ita in Bucero etiam et Calvino praeclara Spiritus S. dona fuisse agnoscimus,
quibus ad propagandam Dei gloriam et multorum salutem illi studio indefesso usi sunt. At quia omnes
isti homines fuerunt, Lutherum quidem pertinax sententiae suae tuendae ardor in contentiones ab-
duxit, quae ei locutiones crassas et absurdas extorserunt: Bucerum autem (quod probe novi)
nimium et ex metu enatum concordiae studium seduxit. Cum enim a nostris ad Capellas in-
feliciter pugnatum esset, et Zuinglius cum multis egregijs viris occubuisset, eaque clade quod paulo
ante inter aliquot Helvetiae civitates et Argentinam atque Hessorum principem coierat foedus, disso-
lutum esset, ille totam causam simul perituram putabat, nisi superioris Germaniae civitates, et im-
primis Argentinam suam, alicuius novi foederis praesidio muniret. At quia idem sciebat, Saxones a-
liosque Confessionis Augustanae socios a Zuinglij de Coena Domini doctrina abhorrere, omnibus per-
suadere conatus est, eandem fuisse Lutheri et Zuinglij sententiam, [ideo Confessionis verba et Lu-
theri locutiones, quae Capernaiticum quid spirare videbantur, interpretationibus suis mollire
voluit, ut a nostris recipi possent. Ubi vero nostros, qui nec sibi fucum fieri, neque alijs face-
re volebant, in eo difficiliores esse vidit, multis nos (quod sane de tanto viro invitus dico)
suspectos fecit, quasi ipsum Christum a ~~tota~~ Coena eius excludamus. Cumque tunc primum
in Germaniam venisset Calvinus, quem ingenio acri et ad res magnas natum esse videbat,
hunc quoque in suam sententiam pertraxit: quod ei facile erat, cum ille propter linguae nostrae impe-
ritiam, neque Zuinglij neque Lutheri sententiam ex ipsorum libris cognoscere posset. Fuit ea res mul-
tarum contentionum causa, quae Helveticas Ecclesias diu exercuerunt: in quibus Bucero accidit, quod
fere accidere solet ijs, qui digladiantes volunt dirimere imprudentius: ut nimirum ipsi vulnerentur.
Nam ille quoque, dum contradictoria conciliare studet, et utrique parti sententiam affingit tolera-
biliorem (ut ipsi videbatur) apud utramque a gratia excidit, adhaec obscurus factus est, ut tan-
dem suam sententiam vix ipse explicare posset. Imo cum Germania eiectus in Angliam venisset,
et propter lites in Germanicis Ecclesijs excitatas ea conditione esset receptus, ne de Coena
Domini verba faceret, publice quidem tacuit, cum Petro Martyre autem (a quo plus de-
cies ista audivi) privatim saepius coram et per literas contulit, cumque ab eo, ut cla-
rius diceret, urgeretur aliquando, respondit cum lachrymis: Per me quaeso mi Martyr: vi-
deo Deum nolle porro mundum per me doceri. Haec ideo hic repetere volui, ut Excell.a tua
videat, Deum tantorum virorum casus nobis proposuisse, ut ne quid nimium tribuamus posthac
hominum authoritati: sicuti tu ipse recte scribis. Et si hoc omnes observarent, facile dissidijs o-
mnibus finis imponi posset, quibus hodie Ecclesiae discerpuntur, et Evangelij cursus impeditur.
At non video, qua ratione hoc a Theologis quibusdam impetrari possit, nisi principum authoritate
in ordinem redigantur. Sed hos quoque (ut tua Excell.a queritur) remissiores esse video, et ple-
rique, quasi salutis cardo in eo versetur, hoc unum cavent, ne quis apud suos Christi corpus
in pane mystico corporaliter adesse, et oraliter (sic enim aliqui loquuntur) a pijs simul et
impijs manducari neget: ut autem Christus in nobis sit, et in nobis efficaciter vivat atque
agat, curari negligunt. Accidit ergo plerisque, ut dum de corpore Christi digladiantur, se Christi ver-
bo et Spiritu vacuos esse prodant. Poterat hoc multis argumentis probari: sed unum hoc suffi-
ciat nunc, quod tua quoque Excell.a de quibusdam scribit, qui cum Evangelij nomen profitentur,

[Sed eos [illegible], maxime inter ipsos exortam non potuisse convenire:]

et Lutheri discipuli Germani censeri velint, ab Albano se conduci patiuntur, ut Hispanicam tyranni-
dem (quae nisi Deus hoc malum avertat, Germaniae simul et religioni in Germania instauratae
exitialis erit) suis armis stabiliant. Excusant facinus hoc, quod contra seditiosos principi ius
suum vindicanti serviant. At quo nomine ipsi digni sunt, qui exterum hostem, eumque nobis in-
fensissimu͠, contra communem patriam armant, adeoque in communis matris, Germaniae, viscera fer-
rum stringunt. Sed reprimam me, ne rei indignitate abreptus longius progrediar quam par
sit. Qua tamen in Hispanorum mentionem incidi, hoc addendum puto, me non sine causa ti-
mere, ne gens illa Occidenti fatalis sit. Constat enim, eam ex Gothis originem habere, qui olim
post vastatam maiorem Europae partem, et Romam captam, et eversum in Occidente Romanu͠
Imperium, in Hispania consederunt, ex quibus deinceps Regum Hisp. linea ad Ferdinandum
usque, Caroli V et Ferdinandi avi avum maternum, deducta est. Cum igitur e nido suo
se indies latius diffundant, et iampridem Italiam cum Insubria occuparint, nunc Germaniae
infesti sint, eiusque partem opulentissimam in potestatem redegerint, Galliam quoque spe sua
iamdudum devorarint, ipsi denique Galli et Germani illis viam sternant suis dissensionibus,
quid aliud sperari potest, quam ut infelix Europa iterum veteres hostes sentiat, a quibus co͠
nova inundatione vastetur. Faxit Deus, ut hoc praesagio ego fallar.

Venio nunc ad quaestionem, quam Excell.a tua proposuit, argumento petito ex horribili
illa et inauditae crudelitatis laniena, qua superiori anno Gallorum tyrannus (nam Regem di-
cere piget) contra datam fidem, sub nuptiarum regiarum praetextu, Admiralium cum plerisque fi-
delium Christi ducibus, et postea innumeram prope eorum multitudinem per totam Galliam truci-
dari curavit. Quod facinus ut omnium hominum animos admiratione et terrore perculit, ita
apud pios easdem, quas apud te, cogitationes excitavit. Quaeris enim, cur Deus ad tam enor-
mia facta conniveat, suos adeo diris et indignis modis tractari sinat. Quid item pii iudicare
debeant de iis, quae divinae indignationis argumenta esse censentur. qua denique consolatione iidem animos
vacillantes erigant. Sunt haec consideratu dignissima, quando olim eximios Dei servos in hac
causa graviss. tentatos fuisse constat. Asaphum certe istae cogitationes eo adduxerunt, ut fatea-
Psal. 73. tur parum abfuisse, quin pedes sui nutarent, et a natione filiorum Dei deficeret. Ieremias quoque clamabat:
Iere. 12. Cur fit, ut via impiorum prospera sit, et feliciter agant qui impudentiss. praevaricantur. Et nota
Hab. 1. sunt alterius prophetae verba, qui cum sub Manasse Rege verum Dei cultum everti, prophetas crude-
liter trucidari et Hierosol. totam sanguine innoxio inundari videret, dicebat: Quousque Domine
clamo, et non exaudis. vociferor ad te ob violentiam, et tu non servas. Cur ostendis mihi iniquitatem,
et facis ut spectem molestiam, et sunt coram me vastatio et violentia etc. Merentur ista longam
tractationem, utque hic pii se diligenter exerceant, non tam utile quam necessarium est. Me autem de
his cogitantem, ut aliquid tua Excell.a dignum responderem, maxima laboris parte levavit
pater et preceptor meus observandus, D. Bullingerus, qui ex aliorum rogatu libellum de persecutio-
nibus vere aureum conscripsit: quem quia ille procul dubio ad te mittet, supervacaneum videri
poterat, si de hoc argumento plura velim dicere, quod ab illo felicissime tractatum est. Ne tamen
tuae Excell.ae petitionem sprevisse putor, summa rerum capita attingere libet, inde initio facto,
unde veteres prophetae suarum consolationum principia sumpserunt. Habakuk dicit: Super spe-
Hab. 2. culam meam stabo, et statuam me super arcem, et speculabor, ut videam quid in me loquatur Dominus,
et quid respondeat ad increpationem meam. Asaph item in sacratius Dei adytum se ingressum dicit,
ut non tam praesentem rerum faciem, quam finem piorum atque impiorum inspiceret: ubi re propius considera-
ta, hoc totius causae istius fundamentu͠ posuit: Attamen bonus est Deus Israeli, his nempe qui
mundo sunt corde. Itaque nos et ex una parte Deum, ex altera nos ipsos inspicere oportet. Et in
Deo quidem haec spectanda sunt. Primum, quod nihil eo inscio et invito fiat, nec etiam semper
Zach. 4. ad ea quae fiunt conniventi. Oculi Domini (inquit Zacharias) percurrunt terram: et cum idem ille
Ier. 23. coelum et terram impleat, nihil eorum quae fiunt ignorare potest. Quis vero invitum coget, ut
vel ipse faciat, vel fieri patiatur, quae omnino facta nollet. Ut autem eum ad quaedam connivere di-
camus, aut (ut quidam faciunt) permissionem ei tribuamus otiosam, id vero ab eius iustitia

atque sapientia (quibus ceu finib. et terminis eius providentia concluditur) est alienissim. Adde, quod
cum om[nium] sit dominus, deque illo solo vere dici possit, quod Regibus suis parasiti aulici tribuunt, illum
leges dare, non accipere: nemo de iniuria sibi ab illo facta conqueri potest, quando de suo, prout ipsi
videtur, statuit. Et haec quidem in Scripturis tam perspicue traduntur, ut de illis dubitare nefas
sit, quae multi inter gentes olim confessi sunt, qui cum animis inscriptam naturae legem, ut re-
gulam suarum disputationum sibi ob oculos posuerunt. Quoad nos vero, quanti quanti sumus, cor-
rupti et vitiosi sumus, ideoque sanctissimis et hoib. conveniunt confessiones illae, quibus olim prae-
stantiss. cultores Dei de infelici sua conditione conquesti sunt: Ecce ego in iniquitate formatus
Psal. 51. sum, et in peccato concepit me mater mea. Item: Nos sumus omnes veluti immundum, et sicut ve-
Isa. 64 stis centonum abiectorum omnes iustitiae nostrae. Quia n. ipso Deo teste, figmenta cordis nostri
Gen. 8. ~~pra~~ prava sunt ab ineunte aetate, bonisq[ue] operibus nostris cogitationes et cupiditates inordinatae
vel iniquae concurrunt, quib. illa sic inficiuntur, ut quovis supplicio potius quam praemio aliquo di-
gna sint. Quis ergo de Dei iniustitia queri poterit, si honores, opes, vitam denique per infandos
mortis crudelissimae cruciatus ille nobis auferat," qui aeternis inferorum tormentis puniri mereba-
mur." At grave est et scandali plenum, piis ista accidere, dum causam bonam, iustam, sancta-
tam salute publica et Dei gloria coniunctam, tuentur. Fateor. Sed hic quoque Deum omni cul-
pa liberabimus, si res paulo diligentius examinetur. Nam primo, multi passim inveniuntur,
qui causam optimam sanctissimamque pessime agunt, dum vel sub huius praetextu commodum pri-
vatum quaerunt, et suam sive ambitionem sive avaritiam, aut quidvis agendi licentiam, Dei no-
mine palliant: vel odii et irae affectu abrepti modum excedunt, ut multa inique, multa crudeli-
ter faciant. Atqui talium infinitus est numerus, ubicunque vel seditiones vel bella civilia exori-
untur. Nam licet causae eiusmodi motuum aliquando graves sint, et qui vere pii sunt, non nisi inevitabili
necessitate coacti ad haec remedia extrema et periculosiss. recurrant, non desunt tamen, qui dio minus syn-
cere se illis commiscent, ut suas res agant, aut iampridem conceptas odii atque invidiae flamas
hostium suorum sanguine restinguant. Quibus, si res infeliciter cedat, non possumus Deum
accusare, qui sui nominis abusum iusto iudicio ulciscitur. Deinde etsi causam bonam omnes bo-
na etiam fide et animo syncero agant, saepe tamen in ipso limine (quod dici solet) peccatur, quod
illam absque certa Dei vocatione suscipiunt, et rebus nihil ad se pertinentibus, zelo quidem sancto
et bono, sed praecipiti et inconsulto sese immiscent: a qua culpa utinam hodie omnes liberari pos-
sent, qui in alienis terris regnum Dei armis temere correptis potius, quam doctrinae puri-
tate, morum probitate, et vitae vere Christianae exemplo propagare volunt. Accedit his, quod
in iustissimis quoque bellis multa praeter ius et aequum, multa item contra charitatis legem
designantur, qualia sunt, horribiles hominum strages, urbium et villarum incendia, agrorum fru-
gumque vastationes, viduarum et pupillorum oppressio, ex quibus publica egestas, fames, exilia na-
scuntur, ~~et quid~~ ^ innumera miserorum turba Dei aures assiduis clamoribus fatigat, quos ille ne-
^ inter quae ^ quaquam negligit. Et quam ei ista displiceant, Davidis exemplo docemur, qui cum vir esset se-
cundum cor Dei, eius tamen ministerio hic in templi sui aedificatione non voluit uti, quod bella
1 Par. 22. multa gessisset, multumque humani sanguinis effudisset. Quod meo iudicio rectissime ad Chri
Ecclesiam, quae unicum Dei in terris templum est, transfertur. Ut enim regnum Christi
non est de hoc mundo, ita multo minus huius mundi armis propagari poterit. Etenim
hoc Dei decretum est, ut per carnis infirmitatem (Pauli verbis utor) Evangelium prae-
2 Cor. 12. dicent, quos ille huic operi omnium saluberrimo destinavit, ut ne virtus Crucis Christi eva-
Galat. 4. nescat, quae tunc maxime elucescit, quando neque persuasoriis humanae sapientiae verbis or-
1 Cor. 1 et 2. nata, neque principum huius saeculi authoritate turgida, neque armis munita, sed simpli-
ci Evangelii praedicatione commendata ab iis recipitur, quos mundus pro infirmis, obscuris
stultis et nullius pretii hominibus contemnit, et per hos ubique gentium de devicta mundi
et principis eius tyrannide trophaea pretioso Martyrum sanguine rutilantia statuit. Agnosco
Isa. 49. quidem Isaiae vaticinium, quo Deus Ecclesiae suae reges nutritios pollicetur, et eos principes Deo
gratum officium facere scio, qui inter suae curae creditos Christi fidem propagare satagunt, et ean-
dem armis quoque, si opus sit, contra vim iniustam defendunt. At ut absque certa et peculiari

vocatione hoc in regnis et terris nihil ad se pertinentib. faciant, id nusquam me legisse memini:
nisi quis Romanos Pontifices imitandos putet, qui olim Sacri belli authores fuerunt, quo totus
orbis terrarum, non sine Christiani nominis dedecore, concussus est. Haec etsi in fortissimi Herois
Admiralij et sociorum eius contumeliam minimè dicta velim, cum quae ipsos moverunt causae
me lateant, et quos multa praeter animi voluntatem belli iam suscepti necessitate abreptos
fecisse, multa item, quae à suis crudeliter et insolenter facta fuerunt, improbavisse non dubito:
quoties tamen de ijs cogito, quae ex viris minimè malis, et qui factorum pars aliqua fuerunt,
audivi, simulque horribilem totius ferè Galliae vastitatem cum crudeli et miserabili fame,
quae etiamnunc adhuc innocentem promiscui vulgi multitudinem excruciat, animo repeto,
minus miror Deum voluisse, ut his medijs regnum suum apud Gallos instauraretur. Num-
quam tamen illos pro reprobis et à Deo abiectis damnavero: sed Deum ipsorum miserabili cla-
de totum mundum excitare voluisse dico, ut qui hodie bellis gaudent, et sanguinis effusione
sibi quaestum faciunt, quem vel religionis, vel publicae iustitiae, aut etiam debitae principib.
obedientiae praetextu palliant, diligentius illud Christi dictum expendant: Si hoc fit in vi-
ridi, quid fiet in arido. Etenim si tam horribili et inaudito perfidiae et crudelitatis exemplo
eos trucidari passus est Deus, quos religionis verae causam seriò egisse certò constat, si denique
Tridentini Concilij furores isti primi sustinere debuerunt, quid nobis de infelici mundo pollicebi-
mur, qui hodie totus ab illis pendet; qui bellis minimè necessarijs omnia turbant, qui aliorum
libertati proditorijs consilijs insidias struunt, terras omnes sanguinis innocui rivis irrigant,
viduarum, orphanorum et agricolarum innocentium eiulatu et clamoribus coelum totum resonare faci-
unt, omnes denique orbis habitati angulos exulibus miseris implent. Tam ergo abest, ut Ad-
miralium cum suis socijs, quos bono sanctoque zelo accensos fuisse non dubito, damnem, ut
potius beatos iudicem, quibus in bona causa et pro Christo mori datum est, et quorum exemplo
totum mundum Deus de futuris cladibus admonere, et omnes nationes ad poenitentiam et
sincerum religionis studium excitare voluit. Solet enim ille iudiciorum suorum initium à sua do-
mo facere, ne quae in prophanis punit vitia, in suis probare putetur: ideo quae Ecclesiae accidunt
clades, universalium calamitatum, quibus impij et à Deo alieni passim puniendi sunt, prae-
ludia minimè vana censeri debent. Vide quae apud Abdiam prophetam et Ierem. 25 Cap. de
calice furoris Dni dicuntur, quem primi quidem biberunt Hierosolymae et Sancti montis incolae,
à quibus ille ad gentes vicinas, tandemque ad Babylonios translatus est, qui totum unà cum
fecibus exugere coacti fuerunt. Ita verò ad secundum quoque et tertium propositae quaestio-
nis caput ex parte responsum est: quid nimirum pij de ijs iudicent, quae divinae indignatio-
nis argumenta esse censentur? qua item consolatione animos fluctuantes erigere ac stabilire de-
beant. Quae enim impijs à Deo irato immittuntur clades, revera illis poenae atrocissimae, et nisi
inter illas convertantur, infernalium aeternorumque cruciatuum praeludia sunt: eaedem verò
Esa. 57. pijs et electis divini favoris sunt testimonia. Per has enim (ut Esaias docet) iusti colliguntur
ad coelestis patriae sedes ante diem malum, ut in suis cubilibus requiescant, interea dum infe-
lices huius saeculi filij debitas suis sceleribus poenas cum horribili regnorum eversione et totius
orbis concussione expendunt. Sic Iosias, etsi in praelio ceciderit, tamen in pace ad patres suos col-
2 Reg. 22. lectus fuisse dicitur, ne quod post secutum est horribile urbis et templi excidium et miserabilem
totius gentis Iudaicae eversionem videret. Quod ipsum fortassis de Galliae fratribus nunc per-
fidè occisis, brevi dici poterit, quando perfidiam ∧ cum crudelitate plus quàm turcica coniunctam
∧ hanc ∧ diris et horrendis modis Deus ulciscetur. Adhaec dum talia pijs accidunt, his quasi paternis
virgis castigantur, ne (quod Paulus dicit) cum mundo contumaci et perituro nescio malè pereant.
1 Cor. 11. Denique Christi Iesu socij fiunt cum Simone Cyrenaeo, et hac gloria illos Deus coronat, ut fi-
lio suo conformes facti, huius crucem ferant, idque hostibus ipsorum palàm testantib. qui etsi
illos prius fictis criminibus gravare soleant, ferè tamen inter clades istas imprimis fidem in unum
Christum et Euangelicae doctrinae studium illis exprobrant. Quorum consideratio vel sola
sufficere potest, ut animos nutantes erigant, et Christum ducem magnis passibus sequantur. Accedi-

1 Cor. 10. tamen et hoc, quód Deus ille fidelis et indulgentiss. pater nos supra vires tentari non sinit, sed
1 Cor. 4 ut suos servos hominibus simul atque Angelis spectaculum facit, ita ipsemet Agonothetes est ae-
quissimus, qui non solùm bravio regni sui coelestis illos ad certandum excitat, verumetiam in cer-
tamine illo laborantibus novas subinde vires sufficit, labascentes fulcit, collapsos erigit, despera-
bundos consolatur, exanimes denique et prostratos resuscitat, ut invito mundo et eius principe
per omnia adversa eluctari possint. Et ut tandem scribendi finem faciam, quid mirum est, si
quae exemplo carent nobis ferenda sunt, quibus bonorum quoque incomparabilium haereditas
iam pridem legata, et Filij Dei sanguine confirmata est. Quae oculus non vidit, neque auris au-
Isa. 64. divit, neque in cor hominis ascenderunt, ea praeparavit Deus ijs, qui ipsum diligunt. Et Paulus
Rom. 8. olim dicebat: Statuo minimè esse paria quae praesenti tempore perpetimur, futurae gloriae no-
bis revelandae. Haec ad quaestiones propositas respondere volui Ludovice Comes genero-
sissime, non quód tuam Excell.am mea institutione aut consolatione opus habere existimem,
sed quia tu ita voluisti, cui ego officium tam pium et meae professioni convenientiss. negare
minimè debui. Et ut quod verum est fatear, volupe mihi fuit, inter varias curas et difficil-
limas cogitationes, quae mihi cum pijs omnibus inter nostrorum temporum calamitates sunt commu-
nes, de his tecum per literas colloqui, ut non tam te, qui ista leges, quàm meipsum recrearem.
Tuam verò Excell.am rogo, ut si quid vel liberius vel minus apposité dictum videbitur, id ae-
qui benigne consulat. Quód si meis hisce aliquid defuerit, id D. Bullingeri liber abunde
sarciet. De rebus, quae apud nos geruntur, scripsi ad communem amicum nostrum, D. Eber-
hardum à Bruck, quem tecum illa communicaturum scio. Ita enim propter varias occupationes
et literarum, quae mihi hoc tempore exarandae sunt, multitudinem operas meas inter homines
amicissimos partiri libuit, et hanc colloquij non prorsus inutilis occasionem vobis iucun-
dam et gratam fore confido. Vale illustris et generose Domine. Tiguri 24 Februarij
Anno nati Christi M.D.LXXIII.

Tuae Excell.ae

addictissimus

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino,
D. Ludovico a Seyen, Comiti in
Vuitgenstein, Dno in Hom:
berg &c: domino suo impri:
mis honorando.

Pso 24 Mar: Ao C 73

53.

S. Generose Ludovice Comes et Domine mihi magno tuo merito observande, gratum fuisse
tuæ Excell.tiæ officium istud, quo meum erga te studium declaravi, dum meas in po-
steriorem D. Pauli ad Corinth. epistolam homilias sub tui nominis felici auspicio in
lucem emisi. Quod verò tu illud munere eleganti et pretioso remuneratus es, in eo
propensissimam tuam erga nos voluntatem agnosco, et Excell.tiæ tuæ gratias ago, non
quales tua liberalitas meretur, sed quas pro mei ingenij et facultatum tenuitate a-
gere possum: et utinam mihi aliquando occasio detur, qua cum tuo commodo et volupta-
te testari possim, quanti te faciam. Mihi ~~ce~~ certè hoc non iucundissimum modò est,
verumetiam non postremam meæ felicitatis partem iudico esse, quòd me hominem
obscurum abs te amari et diligi scio, quem Deus antiqua generis nobilitate, virtu-
te et eruditione non tam illustrem quàm pijs bonisque omnibus charum fecit.
Accepi autem cum literis tuis postremis librum de Concordia in Ecclesiam reducen-
da, Herbornæ scriptum à viro pio et erudito (eo ni fallor, cuius quæstiones de Coe-
na Dominica alias misisti) et D[omi]ni Santaldegundi in illum animadversiones, qui-
bus ille responsionem aliam opposuit. Et petit abs me Excell.tia tua, ut ipse quoque de
eodem argumento aliquid scribam. Id verò libentissimè ego facerem, si aut ea mihi
esset rerum cognitio et dicendi facultas, ut in causa tot iam annis inter præcipuos
et summos nostri seculi Theologos ventilata aliquid proferre possem, quod illorum doctissi-
mis lucubrationibus adijci mereretur: aut ea esset nostrorum temporum felicitas,
~~Vt~~ ut aliqua pacis et concordiæ veræ spes certò concipi posset. Equidem vehemen-
ter probo boni illius doctique viri studium, et utinam eodem pacis amore omnes
arderent, qui hodie in Schola et Ecclesia Dei Verbum profitentur: at simul me-
tuo, ne illi oleum et opera pereat, dum opus toties iam à multis frustra tentatum
aggreditur, et quidem ea via, quæ nonnullis alijs infelicissimè cessit, Bucero impri-
mis, cuius exemplum ille præ alijs adducit, et quam is cum Luthero composuit
Concordiæ formulam ita commendat, ut hodie hanc quoque compendiosissimam tutissi-
mamque viam fore existimet, quam sequi debeant, qui consensum inter Evangeli-
cæ doctrinæ professores quærunt. At me Buceri exemplum maximè terret, quan-
do in mentem venit, quid illo authore in Helvetiæ nostræ Ecclesijs acciderit,
quibus item artibus vel ipse, vel ij qui ei consilij istius authores fuerunt, superio-
ris Germaniæ ministros domo evocarint, et Vitenbergam usque pertraxerit: ~~et~~
denique quàm inhumaniter illic à Luthero primùm tantumnon rejecti sint, do-
nec optimi et pijssimi viri, Philippi Melanthonis, intercessione ille aliquantulum
placatus eos in conspectum admisit, ita tamen ut adhuc indignabundus eos hisce
verbis compellaret, Seindt ir die mir mein Evangelium habend stinkend ge-
macht? Rursus tamen Philippi et Iusti Ionæ verbis mitior factus, articulos
illis iam ante conscriptos proposuit, quibus illi serviliter nimis subscripserunt, uno
Constantiensis Ecclesiæ ministro, Doct. Joanne Zuiccio, excepto. Coeperunt ab eo
tempore in superiori Germania res in deterius vergere, et qui consensum generalem
in Saxonia multo cum labore maximisque impensis quæsierant, in suas Ecclesias
contentionum materiam reportarunt, ex quibus lites perpetuæ secutæ sunt. Audivi
ista non semel ex aliquibus illorum, qui eius fabulæ pars magna fuerant: ex quorum
numero quoque fuit Vuolphgangus Musculus, cuius doctrina et pietas singularis
toti orbi perspecta est: quique eius actionis nunquam sine gemitu et dolore recor-
dari potuit, quòd et Germaniæ superioris ministris turpiter impositum, et eadem occa-
sione phrases novas et crassas in Ecclesias, quæ puriori et simplici doctrinæ assueverat,
invectas esse videret, et novis doctoribus viam patefactam, qui ipso Luthero crassius lo-
cuti, Ecclesias passim turbarint, inque his etiamnum ita dominantur, ut ijs ne hiscere

quidem liceat, qui eam moderationem doctrinae de Sacramentis adhibere student, quam bonus il-
le frater Herbornensis requirit. Addo his, quód ne Luthero quidem Bucerus satisfecit, imó
dum contradictoria conciliare voluit, utrique parti suspectus et parum gratus fuit: quod ego
in Comitijs Imperialibus, quae anno 1541 Ratisponae agebantur, corám vidi, et Lutheranos
de illo grauiter conquerentes audiui: suam veró Argentinam hominibus superbis et rixato-
NB ribus reliquit, qui partim Illyrici furores pro oraculis habent, partim Ubiquariam Brentij
et Jacobi Andreae Theologiam omnibus obtrudere satagunt, ut nesciam, si Bucerus ex mor-
tuis rediret, num Argentinae locum esset habiturus. Atqui hunc quoque Zelo bono et sancto
motum fuisse nequaquam dubito: attamen dum nimio (si ita loqui licet) concordiae studio
ardet, controuersiarum statum extenuare voluit, ut omnibus persuadere posset, non de re
ipsa, sed de solis verbis contentionem esse, et proinde concordiam facile posse fieri, si Luthe-
ri phrases ab omnibus admittantur, quibus ille sensum longe alium, quám ille unquam
agnouerit, affingebat. Atqui eadem plané via noster ille Scriptor videtur incedere. Quia n.
quae eius pietas est, cupit ut infelici contentionum, quae Ecclesias iam diu occuparunt,
scandalo, quo multi impediuntur, quó minus ad Euangelij professionem accedant, quodque
Ecclesias ubique locorum turbat, multis etiam in locis persecutoribus tyrannis in fratres no-
stros saeuiendi occasionem praebet, ille ut rebus afflictis remedium afferat, et eos sibi ae-
quiores reddat, qui hac tenus plus aequo feruentiores visi sunt, controuersiam hanc non
tanti momenti esse dicit, ut propter eam Ecclesiae pax turbari, aut dissensiones diutius
ali fouerique debeant. Quod ut facilius omnibus persuadeatur, multa extenuat, multa
dissimulat et praeterit, de quibus hodie quidam acerrimé nobiscum digladiantur. Ex
quorum numero ut unum attingam, quis obsecro nescit, nobis cum nonnullis Lutheri disci-
pulis non minorem de imaginibus et earum usu in templis concertationem esse, quám de
Sacramentis. Has enim illi pro adiaphoris habent, simul tamen easdem ita propugnant,
ut nobis con facinus & indignissimum et intolerabile exprobrent, quód templa nostra á si-
mulachrorum sordibus repurgauimus: neque illos pudet, nos inuidioso et iam olim á Ponti-
ficibus excogitato εἰκονομάχων nomine notare: cuius nos pudere non potest neque debet,
cum multos synceros Dei seruos hoc nomine in Scripturis laudari sciamus, quód imagines
sustulerint, et quidem eas quoque, quae Christi Jesu typus erant (qualis serpens ille ae-
neus fuit, quem Ezechias demolitus est.) multos é contra damnari, quód eas contra ex-
pressum Dei mandatum vel inuexerunt, vel ab alijs inuectas non remouerunt, cum pe-
nes ipsos esset eas tollendi potestas. Similiter de Baptismo acrior nobis est cum non-
nullis controuersia, quám frater ille noster arbitretur. Nam illius actioni externae qui-
dam ex aduersarijs nostris salutem ita astringunt, ut de infantium, si non baptizati
moriantur, salute dubitent, et ideo in tali necessitate (ut ipsi loquuntur) baptismum ab ob-
stetricibus aut quauis alia muliere administrari sinunt: nobis autem magni flagitij
aut sceleris loco obijciunt, quód ut ista fiat, minime necessarium esse docemus, et Pauli
Canonem allegamus, qui mulieres in Ecclesia loqui prohibet, et proinde hoc est, ne Sacra-
menta administrent, quae absque Verbi praedicatione rité administrari non possunt.
Neque sufficit aduersarijs illis nostris, quód ex christianis parentibus natos infantes foe-
dere Dei contineri, et ex foederis virtute sanctos esse, ideóque regni coelorum haeredes, nec in
baptismo demum tales fieri, sed hunc regenerationis et adoptionis, quae in uno Christo per
Spiritum Sanctum habetur, esse sigillum. Sed et Exorcismum, quo plerique illorum utuntur,
nos neque probare, neque in nostras Ecclesias inuehere possumus absque graui scandalo. Atta-
men hunc quoque Herbornensis non tanti faciendum esse arbitratur, ut propter eum á quo-
quam dissentiamus. Nobis veró haec nulla venia digna temeritas esse videtur, Dei institu-
tis aliquid adijcere, cuius nulla fit in Scripturis mentio, et quo Apostolica Ecclesia olim
absque pietatis et salutis iactura caruit, quod denique ab hominibus excogitatum super-
stitiones peperit, quibus purior in Christum fides ceu nebulis quibusdam est obscurata.

Imagines

Baptismus

Exorcismus

Praedestinatio

Quis autem rudibus adhuc et infirmis persuadebit, eos in summa religionis consentire, qui:
bus de initiationis Sacramento tam parum convenit: utut ministri utrinque dissidiũ
diligenti silentio tegant.? Porro in electionis et praedestinationis doctrina non tam fa:
cilis erit consensio quàm ille opinatur: quando in eo articulo quidam Pelagianismum
nobis postliminiò reducunt, quidam etiam ipsis Pontificijs et Scholasticis doctoribus
crassius de hoc negotio loquuntur. Quoad vero Coenam Dominicam, ego videre non

Coena.

possum, de solis verbis litem inter nos esse, quae parvo negotio componi possit: quando
neque de unione naturarum in Christo, neque de idiomatum communicatione, neque
de illius corpore, Ascensione item in coelos, sessione ad dexteram Patris, imò ne de usu
quidem et fine Coenae inter nos convenit: ut iam de verborum Christi sensu germano
nihil dicam, in quibus illi Tropum omnino nullum admittunt, nos autem illa sal:
vis fidei articulis absque Tropo exponi posse negamus. Christum quidem Coenae suae prae:
sentem adesse utrique fatemur, et à credentibus manducari, quoad verò praesentiae et
manducationis modum, non minus quàm coelum à terra distamus: quando nos Chri:
stum corpore suo in coelis residere dicimus, quibus eum (: ut Petrus ait :) capi opor:
teat usque ad gloriosum illum diem restitutionis omnium: illi verò eum corpore suo
realiter et corporaliter adesse, et hoc omnipraesens esse, coelum et ~~templum i~~ terra
implere, denique à dignis et indignis realiter et oraliter manducari contendunt.
At facilè inter nos convenire posse putat Herbornensis Scriptor, si in eo quod utrinque
fatemur acquiescamus, modum aut praesentiae Christi alto silentio sepeliamus: eò quòd
ineffabilis sit, et cuius rationem in coelesti demum Academia intellecturi simus.
Enimvero nos quoque ineffabile esse fatemur nostrae cum Christo communionis mysteriũ:
hoc tamen in Spiritu per fidem percipi didicimus ex Dei Verbo. Et quia in Coena no:
bis eius sigillum exhibetur, non video, qua ratione ineffabile dici debeat quod illic
fit: nisi forte Sacramentis, quae ~~propter rudiores in~~ ut nostrae infirmitati succurrãt,
instituta sunt, aliquid contineri dicamus, quod nec Dei Verbo traditum sit, nec à
quoquam mortalium possit percipi. Id autem nobis nullo modo verisimile esse videtur:
imò hoc nimis durum et absurdum putamus, si quis Christum nobis in hac carne in:
firma agentibus fidei exercitia instituisse dicat, quorum rationem in altera demum vita
cogituri simus, quando illorum usus porrò nullus erit. Sed esto, utrisque silentium in:
dicatur, nunquam tamen adversarij nostri sibi persuaderi sinent, ut phrases suas non
crassas modò, sed Capernaiticas quoque, abijciant: nos verò, nisi in Ecclesias nostrae fidei
creditas perfidi esse velimus, non poterimus ad manifestas superstitionũ occasiones
tacere, ut hae vel foveantur, vel simplici populo obtrudantur cum multorum scandalo. Non
damnamus equidem Scripturae phrases, quibus et nos utimur: at easdem dextre exponi
oportere dicimus secundùm fidei analogiam, ne in tanta opinionum varietate his
non intellectis, multi de corporis Christi veritate, déque fidei nrae axiomatibus sive
principijs dubitare incipiant: quod multis iam accidisse notius est, quàm ut demon:
strari oporteat. Et sanè quoad Coenae articulum (: ut ingenuè dicam quod sentio :)
multa in libri huius authore desidero: quia tamen ad pleraque non minus doctè quàm
piè respondit vir nobilis et eruditus Santaldegundus, sufficiat dixisse, me huius
sententiam in illis probare, neque ad eius animadversiones Scriptor ille ita respon:
dit, ut aliter sentire possim. Ut ~~enim~~ verò demus, posse eiusmodi consensionem, qualem
ille praescribit institui et inchoari, ea tamen sincera nulla erit; quando partim in phra:
sibus obscurioribus utrinque receptis consistet, quas alij aliter intelligent: partim
in ignavo silentio, sub quo ὕπουλον (: subdola) latebit, cuius sanies tandem maximo cum Ecclesiae
totius incommodo erumpet. Et ut omnium Ecclesiarum ministri in hanc consensionis formu:
lam conspirent, quis Spiritum Domini impediet, quò minus ille in tot Christianorum
myriadibus vim suam exerat, ex quibus multi passim de causa hac apertius loquentur.

multi insuper collusionem illam improbabunt, quidam et doctores suos urgebunt, ut quod res
est dilucidè dicant, neque ambiguis locutionibus simplices auditores suspensos teneant.
Quis tunc omnium ora et linguas frænabit? ~~Nam Theologi suos discipulos ad~~ Hic certè
opus erit, ut vel Theologi suos auditores ad fidei implicitæ figmentum remittant, quasi
sufficiat Ecclesiæ consensum profiteri, etsi quis ille sit, non intelligas: vel curiosiores illos
(si modò ita dici merentur, qui de re omni edoceri cupiunt) principum authoritate coërcen-
dos curent. At utrumque hoc novum Pontificatum redolebit, et novæ in Ecclesia tyranni-
di viam sternet. Neque principibus christianis omnibus hæc Concordiæ ratio probabitur, ex
quibus multi sunt, qui ut Veritas libere prædicetur, omnino volunt. Denique ut ut
hæc res instituatur, nunquam deerunt inter omnis loci et ordinis homines, qui quod ani-
mo sentiunt, vel inter suos privatim, vel etiam publicè proferent. Hæc et alia huius ge-
neris quoties mecum diligentius cogito, video in hac re cautione magna opus esse, ne dum Spi-
ritum Sanctum certis dicendi et tacendi legibus, seu cancellis quibusdam, includere cona-
mur, maioris alicuius incendij simus authores, simulque ipsi Deo consilia nostra improbemus,
quando consensum cum hominibus multorum conscientijs præferimus, quæ in solo Dei Verbo
rectè intellecto, non ad certas phrases restricto, acquiescere possunt. Ergone nullam
(dicat aliquis) concordiæ spem nobis reliquam facis? Aut num omnes de hac instau-
randa cogitationes vis abijci? Non id volo: sed eam concordiæ ineundæ rationem impro-
bo, quam hactenus secuti sunt, qui nobis in Sacramentorum usu, quo nihil simplicius ex Scri-
pturis proferri potest, mysteria ineffabilia fingunt, et phrases colligunt obscuras et ambi-
guas, quæ vulgo hominum superstitionum seminaria sunt, adeoque causa sunt, ut in elemen-
tis defixos habeant animos, quos debebant sursum in cælos evehere, ubi Christus est ad de-
xteram Dei omnipotentis. At huic vitio commodissimè meo iudicio consuletur, si omissis n[on]
necessarijs disputationibus, Cœnæ finem et usum, quem ipse Christus monstravit, urgea-
mus, non novum fingamus ex nostro cerebro, dum illorum sententiæ nos accomodamus,
quorum oculos vetus et ex Papatu inhærens superstitio adhuc perstringit, aut quos conten-
dendi libido incendit, ut aliter quàm hucusque soliti sunt loqui nolint, ne errasse vi-
deantur. Atqui proprius et germanus Cœnæ finis usus'que est, quem Christus his ver-

Cœnæ finis

bis expressit: Hoc facite in mei memoriam, sive commemorationem. Quod dictum Pau-
lus ita exponit: Quotiescunque hunc panem ederitis, et hoc ~~pocu~~ poculum biberitis,
annunciate mortem Domini, donec venit. Quid autem in hoc Christi instituto ineffa-
bile est? Quis adeò stupidus aut rerum christianarum ignarus est, ut nesciat, quid sit cele-
brare memoriam Christi pro nobis traditi, aut eiusdem mortem annunciare? Aut
quæ ratio nos cogit, ut hoc non aliter fieri putemus, nisi ipsum Christi corpus et san-
guinem, realiter, essentialiter, corporaliter, modo tamen ineffabili, sub, in aut cum
pane et vino edamus atque bibamus? Urgent illi verba Christi, Hoc est corpus meum etc.
quæ Paulus ad hunc modum interpretetur: Panis quem frangimus, nonne communicatio
corporis Christi est etc. At ego Apostolum Communicationis vocabulo usum esse nego.
Nam κοινωνίαν dicit, quæ vox communionem aut societatem, non communicationem significat.

κοινωνία

et Paulum consultò illa potius quàm hac uti voluisse dico, ne communicationem Christi, quæ solo
Spiritu per fidem perficitur, externis symbolis alligare videretur, sed hæc illius sigillum
et nostræ cum Christo communionis vinculum externum esse doceret, quod nullo aliorum
sacrorum communione sine societate debeat abrumpi. Et hanc Pauli mentem esse, totus di-
sputationis illius de idolothytis contextus, imprimis at quæ ibidem proximè sequuntur,
evidenter docent. Quod D. Santaldegundus probè observavit, et quia nos quoque de hac
re in nostris homilijs scripsimus, nolo nunc plura dicere. Hoc autem rursus dico,

Quæ concordiæ ratio in negotio Cœnæ.

hanc mihi concordiæ ineundæ rationem compendiosissimam videri, si veteris Ecclesiæ
vestigia secuti, primùm unanimi consensu (sicuti hucusque factitatum est) docea-
mus, salutem omnem in communione, quæ nobis cum Christo æterno Dei Filio intercedit, consistere.

Deinde communionis huius rationem monstremus in fide, qua sola ad illum venitur, quaque
ipsi inserimur, ut simus caro ex carne eius et os ex ossibus eius, et ex eo, qui caput nostrum
est, spiritum vitae hauriamus: qua denique illius carnem edimus et sanguinem bibimus, si:
cut ipse Joan. 6 docuit. Quoad Coenam vero, fateamur hanc communionis huius sigillum esse, non
quidem Christi absentis, sed praesentis et efficaciter in nobis agentis quaecunque ad salutem no:
bis necessaria sunt. Illa et utamur in memoriam eius, in qua non solum ore et actione
externa beneficium redemptionis nostrae, quam corpore et sanguine suo pro nobis traditis per:
fecit, praedicemus, sed simul et animis supra omnes coelos sublatis illum fide apprehendamus, qui
solus panis et potus noster est, quo ad vitam aeternam sustentamur. Haec nobis in Evan:
gelio traduntur, haec in suis scriptis et concionib. docuerunt Apostoli, in his sese primitiva Ecclesia
exercuit, in qua concertationes de Coena nullae fuerunt, quae tamen non potuissent non exoriri,
si crassae illae de reali et corporali corporis Christi praesentia et manducatione quaestiones
cuiquam in mentem venissent. Scio veteres interdum locutionibus usos esse non dissimi:
libus earum, quas hodie multi usurpant. At his hoc unum spectarunt, ut Christi beneficium
extollerent, et Coenae usum commendarent: et eosdem interea nihil tam crassum sensisse, ex
aliis locis apparet, in quib. panem modo figuram, modo ἀντίτυπον corporis Christi di:
xerunt. Quia tamen de his multi alii copiose scripserunt, et res manifestior est,
quam ut demonstratione opus sit, nolo huic loco diutius insistere. Nunc sufficiat dixisse,
quod si absque omni praeiudicio omnes ad veterem simplicitatem aspirent, et per princi:
pes liceat cuique quod ex Scripturis didicit, quodque earum authoritate confirmari potest,
tuto profiteri, neque ferantur qui novis et portentosis dogmatib. simplicium mentes turbant,
brevi eam concordiam veram coalituram spero: cuius spes nulla potest concipi, quoad
singuli suas phrases mordicus retinere, et confessionibus suis parem Scripturis sacris au:
thoritatem tribuere volent. Enimvero non vult ullis finib. includi Spiritus Sanctus,
quam quos ipse sibi in Scripturis praefixit: et iniquum est, Christi servos cogere velle,
ut aliter loquantur quam animo sentiunt, et ex Scripturis loqui didicerunt. Possent
ista fusissime tractari, sed neque mihi nunc otium est de his disputandi, neque apud
tuam Excellentiam Ludovice Comes, prolixiori disputatione opus est, quam in hac causa
iampridem recte institutam esse non dubito. Faxit Deus Opt. Max. qui unicus verae
pacis author est, ut sedatis tandem privatorum affectuum motib. omnes in Christo idem sen:
tire, idemque velle et loqui discant. Iubet hoc nostri saeculi status periculosissimus, et
hoc ipsum Ecclesia miseris modis afflicta privatis et publicis piorum suspiriis flagitat.
De rebus nostris quod scribam non habeo, quae vero alibi fiunt, ex nundinis, quo
omnium gentium homines confluunt, certius quam [illegible] nobis rescire poteris.
Vale in Christo Jesu, quem precor, ut tuam Excell[illegible]cum coniuge generosissima
servet, et bonis tam corporalib. quam spiritualibus indies magis magisque auge:
at. Amen. Tiguri 24 Augusti. Anno nati Christi M.D.LXXIII.

ἀντίτυπον: exemplar figurae respondens.

Tuae Excellentiae

observantissimus

Rodolphus Gual:
therus.

Illustri et generoso Domino,
D. Ludovico à Sehen, Comiti
in Vuitgenstein &c: domino
suo imprimis honorando.

pst 8 No: Coloniae Ao 673

8. 14.

S. Recte iudicat Excell.a tua Ludouice Comes generosiss. de infelici illa controuersia, quae circa Coenam Do-
mini mysticam excitata turbas in Ecclesia dedit maiores et recentiores, quam vt facile sedari, aut ex ea
accepta vulnera cito curari possint. Poterant ista initio caueri, si Lutherus intra modestiae limites se con-
tinere voluisset, et illud Pauli ad se quoque pertinere cogitasset, qui iudicium de doctrina penes se-
dentes in Ecclia esse, et prophetarum spiritus prophetis subijci scribit. Sed quia ille prae se contem-
psit (liceat mihi apud ~~Exc~~ Excell. tuam dicere, quod res ipsa loquitur) fidos Christi seruos, qui
in superiori Germania non absque omni fructu Euangelium praedicarunt, libros suos partim con-
uitijs, partim dicterijs et locutionibus absurdissimis repleuit, ex quibus maioris licentiae occasionem
arripiunt, qui hodie in nos dicendo et scribendo saeuiunt. Enimuero cum ille inter alia argumenta
aliquid coepisset de Christi corpore Vbiquario mussitare, et Zuinglius ei non modo grauiter re-
sponderet, sed simul admoneret, si ita pergat, praecipuos fidei articulos, de Veritate corporis Christi
et imprimis eius Ascensione in coelos, in disputationem venturos: tum ille (quae eius fuit pru-
dentia et pietas) abstinuit in posterum, et se Ascensionis articulum intactum et inuiolatum a-
gnoscere protestatus est: eos etiam non obscure damnauit, qui ex Christo hominem omnipotentem
faciunt. At qui hodie doctrinae eius propugnatores videri volunt, horum immemores, tum demum se
Christi Mtatem et Oipotentiam asseruisse putant, si illum secundum carnem assumptam omnia
posse et habere dicant, quae Deitatis propria sunt: Quod quid aliud sit, quam ex Deo hominem Omni-
potentem facere, ego videre non possum. Neque illis satis est, si nos solitis et à suo praeceptore acce-
ptis conuitijs proscindant: sed eo vsque iam illorum rabies progressa est, vt nos Turcis deteriores
esse clament, vt qui non aliter de Christo sentiamus, quam Mahumet in suo Alkorano tradidit. Hoc
nuper D. Jacobus Andreae Memingae in frequenti Senatu dixit, postea pro publica concione apud po-
pulum sparsit, et tandem publico scripto confirmauit. Accessit alius quidam Sycophanta, qui quae-
stiones de Zuinglianis scripsit, quib. nihil immanius, crudelius et magis barbarum fingi poterat. Ad
quae omnia D. Bullingerus libello breui, sed neruoso et pio, acriter respondit: quem ab illo te acce-
pturum non dubito. Sunt haec plena scandali, et tristissima effecta pariunt: inter quae non po-
stremum est, quod inter principes et equestris ordinis viros iam reperiuntur, qui arma sua cum
Antichristi propugnatoribus coniungunt, quorum tyrannidem contra fideles Christi in Belgico et in
Gallijs defendunt. Quam vesaniam Excell. tua pie deplorat: et sane non tam lachrymis quam exe-
cratione digna est, quando illi in causa religionis faciunt, quod gentium sapientes olim in cau-
sis prophanis improbarunt: dum videlicet pecunia conducti regib. exteris suam operam locant,
et mercenariam militiam sectantur, quam nemo cordatus vnquam laudauit. Defendunt illi
causam suam argumentis, quae in literis tuis adscripsisti, vt ego illis confutatis demonstrem,
1. Quid Christi fideles in extremis angustijs ob Veritatis confessionem constituti facere debeant?
2. Quid item tum faciant exteri, qui eandem cum illis fidem profitentur? Quid denique cum magistra-
3. tus Chriani, tum singulorum officium hic postulet? At ne quid dissimulem, mihi graue est in eam
disputationem ingredi, quae et multum inuidiae habet, et propter diuersa hominum ingenia periculi
quoque plena est. Itaque si ad ista non tam prolixe et diligenter respondeo, quam tua Excell. po-
stulat, vt id aequi bonique consulat rogo: quando mihi neque satis otij est, neque tantum in-
genij, vt omnibus possim satisfacere.

Primum argumentum illi ex religionis diuersitate petunt, quod tu Ludouice Comes modeste at-
tingis: at ego non ignoro, illos hic odiosum Zuinglianorum nomen praetexere, vt dicant, eos merito
bello peti, qui Zuingliani sint et Confessionis Augist. aduersarij. Vtinam vero illi omnes scirent quae
Zuinglij sententia olim fuerit de tota fidei Chrianae summa, et quid hodie nos sentiamus. Tum .n. non du-
bito multos nobis aequiores fore. Nam vt fatear, nos in quibusdam ab illis dissentire, diuersitas tn illa
non tanti momenti est, vt propterea à communi Ecclesiae corpore rescindi, multo minus bello et
armis peti debeant qui nobiscum sentiunt. Etenim vnum et eundem Deum cum omnibus orthodoxis
colimus et inuocamus: vnum et eundem Mediatore, Jesum Chrm, cum ijsdem confitemur: et quidem
talem, qualem Apostoli praedicarunt, et qualem in Symbolo Aplico oes pij profitentur. Recipimus prae-

cerca veterum Conciliorum, Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonen. et similium symbola. Denique cum Lutherus et Zuinglius Marpurgi convenerunt, nulla fuit inter illos de doctrinæ Christianæ capitibus dissensio, præterquam de modo præsentiæ Christi in Cœna: sicuti illius Colloquij Acta ab omnibus illis subscripta testantur. Retinemus quoque fundamentum doctrinæ Apostolicæ, Jesum Christum: et esto super hoc, non gemmas et aurum, sed ligna fœnum stipulas ædificemus: non tamen prorsus damnari merebamur, multo minus ceu religionis hostes bello peti. quando Paulus eiusmodi architectis spem salutis minime negat, sed per ignem probationis servandos dicit. Veruntamen ne his quidem nos accenseri debere pij omnes facile iudicabunt, cum in Cœnæ articulo, non novam et prius inauditam doctrinam tradamus, sed veterum et orthodoxorum Patrum sententiam sequamur: ab ijs autem solis dissentiamus, qui doctrinam à Romanis demum Pontificibus introductam Ecclesijs conantur obtrudere. Et quis enim obsecro apud Veteres unquam hæreseos damnatus fuit, quód panem mysticum in Cœna corporis Christi figuram, signum, sacramentum aut symbolum esse, aut illo corpus Christi significari dixit. Nemo. ita locuti sunt Tertullianus, Augustinus, Theodoretus, adeoque ferè omnes, qui eruditæ illius vetustatis (ut Philippus Melanthon scripsit.) temporib. vixerunt. Est quoque primum hoc adversariorum argumentum infirmius, quàm ut multa refutatione opus habeat: iniquissimè autem agunt doctores isti, qui suis clamoribus principes et militares viros fascinant, ut adversus homines innocentes arma capiant, et Antichristi ~~arma~~ [+] secuti, piorum Christi martyrum sanguine sese polluant: quem Deus olim procul dubio de illorum manibus requiret.

+ cas tra

Secundò seditiosos esse aiunt eos, qui magistratibus resistunt, et adversus reges atque principes suos arma arripiunt, et proinde eosdem armis debere coerceri. Esse enim rem mali exempli, et proinde intolerabilem. At nolim ego statim seditiosos dicere omnes eos, qui sese adversus tyrannidem iniustam defendunt, aut patriam totam ex tyrannorum manibus vindicant. Sunt enim heroum aliquot exempla, qui illud magna cum laude et Deo iubente fecerunt: inter quos Jehu numeratur, cui nemo præter impiam Jezabelem seditionis crimen exprobravit. Et non rarò Deus ipse seditionibus punit eos, qui populum iniquè et crudeliter opprimunt. Ut verò demus, seditiosos esse eos omnes, qui in Belgico et Gallijs sub Gœsiorum et Hugonothorum nomib. arma ceperunt adversus regios præfectos et militiæ duces: causa tamen, quam tuentur, per se bona est: ideoque si in modo defensionis peccant, non tamen unà cum causa opprimi, sed legitimis rationib. officij admoneri, et in viam reduci debent. Quæ verò ratio iubet nostros illos, qui iampridem Christo nomen dederunt, ut ipsi Hispano aut Gallo, quibus nullo iure obstricti sunt, opem ferant in opprimendis miseris, quos immanis et barbara suorum principum crudelitas, et non iniustus dolor, arma coegit arripere. Num ipsi quoque arma capere volunt contra ius, quia hoc alij iam fecerunt. Olim cum Valentinianus Imperator seditionis aut tumultus publici causam dedisset Mediolani, quód basilicas Arianis tradi vellet, et Ambrosius, qui sese cum piorum cœtu in templum recoperat, prodire in publicum et populum tumultuantem compescere iuberetur, respondisse legitur: In meo iure est, ut non excitem: in Dei manu autem est, ut mitiget. Agnoscebat nimirum vir sanctus motum hunc non absque numine factum fuisse. Itaque suæ innocentiæ conscientia contentus, nihil præterea agere voluit, quo tyranni audacia confirmari, orthodoxorum autem fides labefactari posset. Quæ ergo ratio istos movet, ut sese vili pecunia conduci patiantur adversus Christi fideles, et sanguinarios tyrannos iuvent, qui basilicas omnes Antichristo vindicant, quique suam dignitatem et potentiam iampridem Pontificibus plus quàm serviliter prostituerunt, qui denique dum Pontificum emissarijs quidvis pro sua libidine statuendi et faciendi potestatem faciunt, populo infelici tumultuandi occasiones præbent, dum non contenti miseros fortunis spoliasse, et corpora duris atque iniquis imperijs oppressisse, insuper in animos quoque et conscientias piorum sibi ius sumunt. At rem mali exempli esse aiunt, ideoque coerceri tales oportere, ne qui alij ipsos imitentur. Sed non minus mali exempli res est, populum, quem Deus principibus legitimè regendum credidit, impiorum Monarchorum tyrannidi subijcere, Dei Verbum odisse et persequi, miseris et oppressis conscientiæ consolationem eripere, et in homines innocentes barbara crudelitate grassari. Quapropter si metuunt illi, ne ~~sui~~ qui ipsorum imperio subiecti sunt, adversus ipsos simili exemplo tumultuentur, hoc illi non armis iniusto et temere

sumptis, sed tunc cavebunt, si sese suo populo aequiores praebeant. Quin ergo Hispani et Galli regum exemplo admoniti principes, Christo cedunt, et populum Verbo Dei pasci atque gubernari curant. Quod si fecerint, nullum erit illis porro timendum seditionis periculum.

Addunt his, religionis causam non recte et syncere ab illis defendi, qui bello civili illegitime et ex pravis affectibus potius quam Zelo religionis suscepto, multa licenter nimis et flagitiose committant. Unde colligunt, dignos esse, qui coniunctis omnium armis opprimantur. Quibus ego respondeo: Eho quis tu es, qui iudicas alienum servum? Et quis te certiorem fecit, quo quisque animo ista faciat? Annon credibile est, multos ex istis serio pietatis studio duci? multos peculiari motu Dei excitari? Neque tamen infitias eo, accidere hic quod vulgo in motibus publicis, etiam iustissima de causa exortis, fieri solet, ut causae melioris defensoribus multi sese coniungant, quibus sua res privata magis quam publica cordi est: et hi deinde nihil moderate agunt, sed in omnem licentiam effusi multa inique, multa insolenter, multa crudeliter faciunt. Sed cur paucorum improbitas pijs fraudi sit, quibus Dei gloria et communis Ecclesiae causa cordi est? Cur item alteri illi his multo peiores iuvant, ut suam rabiem cum Veritatis oppressione et innoxio piorum sanguine exsatient? Quis enim nescit plura et atrociora rapinarum, libidinum et crudelitatis exempla in Belgico et in Gallia a Pontificiae tyrannidis propugnatoribus edita fuisse hoc tempore, quam ab illis, qui religionis libertatem sibi dari postulant? Est ergo hoc perversum sane hominum genus, qui quod in alijs accusant, quos extrema necessitas et immoderata tyrannorum licentia ad arma cogit, ipsi mox pretio conducti in alijs longe peioribus defendunt. Quod dum faciunt, sceleribus alienis communicant, seque ipsos sanguinis innoxij, rapinarum, libidinum, omnis denique iniustitiae et tyrannidis, qua tot innocentes hucusque oppressi sunt, reos faciunt. Cur ~~[illegible]~~ ergo non verentur, ne ipsis quoque aliquando Deus dicat: Sanguis fratrum vestrorum de terra clamat ad me.

Habet tamen aliquam rationem quod aiunt, externos non debere suis auxilijs aliorum provincias turbare, neque invitis novam religionis formam obtrudere. Etenim ut illos detestor qui adversus Christi servos et purioris religionis professores in exteris regionibus militant: ita nolim ego nostris principibus facile author esse, ut bellis exteris et nihil ad se pertinentibus sese implicent, aut non necessaria suscipiant. Scio enim quam infeliciter hoc olim Josiae, sanctissimo alioqui principi, cesserit. Scio regnum Christi non esse de hoc mundo, et proinde armis neque propagari neque everti posse, nisi illis Deus ex peculiari suae voluntatis decreto uti velit. Et eos quidem principes probo, qui inter suae ditionis homines verum Dei cultum studiose provehunt, et eundem armis quoque, si opus sit, adversus eos defendunt, qui illum extinctum et fidem veram oppressam volunt. Hoc enim olim Deus iussit, ut si qui ab ipso et eius cultu defecissent, bello publice suscepto punirentur, imo excinderentur funditus. Deuter. 13 Cap. Et in eum quoque finem Ecclesiae reges dari nutritios fateor, qui illam simul et veri Dei cultum in suis regnis publica authoritate tueantur: quod olim magna cum laude Constantinum Magnum, Theodosium et alios horum similes Imperatores fecisse, historici docent. Ut vero aliqui absque peculiari Dei vocatione aliorum fines invadant, reluctantibus et invitis religionis formam novam obtrudant, id ego neque Verbo Dei, neque exemplis sanctorum hominum probari posse existimo. Nam si armis regnum suum Christus propagari vellet, poterat ille initio statim Centurionum et militum, qui ad fidem convertebantur, opera uti, aut ipsos Imperatores ad fidem convertere, ut horum edictis atque armis totus terrarum orbis ipsius imperio subijceretur. At nihil huius vel ipse fecit, vel qui post eius Ascensionem Evangelium in toto orbe praedicarunt Apostoli. Posteris demum et temporibus exorti sunt Romani Pontifices, qui (ut Micheas olim de sui saeculi sacerdotibus dicebat) bella sanctificarunt adversus eos, qui non dederunt in os ipsorum: utque regnum suum quam latissime extenderent atque stabilirent, terram sanctam armis repetendam et Christo vindicandam esse clamaverunt. Utinam vero illi orbem Christianum, cuius antistites videri volebant, prius a superstitionum sordibus et corruptissimorum morum licentia repurgavissent. Sed quia hoc neglecto suae tyrannidis pomeria propagare voluerunt sub plausibili terrae Sanctae et nominis Christiani titulo: non alius bellorum

eiusmodi euentus fuit, quàm quòd sanguine Christiano totum ferè Orientem rigauerunt, et Turcas nequitiae nostrorum militum testes fecerunt, imò eosdem acerbiori nominis Christiani odio inflammarunt, qui doctrinae puritate et vitae honestioris exemplo lucrifieri poterant. Et quod haec mala omnia superat, Turcarum arma in Europam attraxerunt; quo factum est, vt plus iam in Europa Christiani amiserint, quàm maiores nostri vnquam in Asia acquisiuerint. Cuius exempli recordatio me vehementer terret, et metuo ne forsan quidam boni et pij principes, dum quorundam consilijs adducti bellis exteris siue peregrinis sese immiserint, tandem domi suae inueniant, quod nunc alibi quaerunt. Scio illos pio Zelo duci, an autem simili studio ducantur, et non potius priuatas res agant, qui illis consiliorum istorum authores sunt, nescio. Certè militares et equestris ordinis viros plerosque, qui tam facilè in bella eiusmodi consentiunt, stipendiorum et praedae spe potius, quàm religionis promouendae studio moueri, notius est, quàm vt demonstrari oporteat. Quae mihi causa esse videtur, quòd inauspicatae ferè hactenus fuerunt omnes istae expeditiones: et vtinam non grauiora aliquando sequantur.

At durum est (dicat aliquis) insatiabili tyrannorum crudelitati iugulum offerre. Fateor: sed simul videre conuenit, ne dum crucem, quam nobis Deus imponit, excutere volumus per media non concessa, illam magis aggrauemus, et ex priuatis calamitatibus publicas faciamus, simulque posteris quoque omnem eripiamus melioris sortis spem: quando tota religionis causa propter talium motuum memoriam omnibus exosa fit: adeò vt multi ad Euangelij nomen exhorrescant, et qualemcunque seruitutem ferre malint, quàm turbis tam periculosis atque crudelibus inuolui.

Rursus inhumanum, neque Christianum esse dicunt aliqui, fratribus opem nostram implorantibus quicquam negare. Caeterùm ego diligenter considerandum esse puto, quam opem illi petant, et quam nos illis debeamus. Iubet charitatis lex, cuiuis petenti dare, neque viscera claudere ad fratris famelici clamorem. At si qui importuniores, quàm par sit, ea postulent, quae sine totius nostrae rei domesticae euersione dari non possunt, si denique aliqui volunt, vt dum ipsis subuenimus, nos nostrosque omnes ad extremam egestatem, vel etiam mendicitatem redigamus: non puto aliquem tam vecordem fore, qui non intelligat, se plus debere ex se natis et suae fidei peculiari Dei mandato commissis, quàm alijs, quos sola nominis Christiani societas, aut communis humanitatis sensus ipsi commendat. Etenim nota est Pauli regula: Non vt alijs sit relaxatio, vobis autem oppressio siue afflictio. Quid verò prohibet, quo minus viri principes et quicunque ad Reipub. gubernacula sedent hanc regulam suae functioni adhibeant? Enimuero debent illi omnes benefici esse, oppressos subleuare, afflictis succurrere et opem ferre laborantibus. Debet praeterea apud ipsos ius idem esse peregrini in ipsorum terris habitantis et ciuis nati. Veruntamen meminisse eos oportet, se plus quiddam suis hominibus debere, quos illis Deus peculiari praecepto credidit, et proinde cauendum esse, ne dum exteros iuuare volunt, suas terras simul et suae ditionis homines in periculum adducant, et bellis non necessarijs inuoluant. Videant ergo diligenter quid petant qui sibi subuentum volunt, et quàm commodè, quamque tutò illud praestari possit. Si pecuniae petantur, si intercessionis fauor, si legationes et quae alia huius generis requirantur, omnino facere ~~illud~~ illos conuenit quod facultates ipsorum ferunt, et quicquid saluo iure publico fieri potest. Quòd si armorum subsidium aliqui postulent, si bellorum quae ipsi priuato consilio susceperunt (siue illa ciuilia, siue extera sint) socios fieri velint: multa certè et diligenti deliberatione opus est, quo iure auxilia eiusmodi petantur, et num illa honestè et absque illorum incommodo suppeditari possint, pro quibus olim Deo rationem reddere cogentur. Laudatur in Romana historia Scipio, qui dicebat, se malle vnum ciuem seruare, quàm mille hostes perdere. Quantò autem maior cura esse debet Christianis principibus, ne suos ciues, quos suos in Christo fratres esse non possunt negare, ~~ne~~ temere bellorum non necessariorum periculis obijciant? Etenim vt regius ille Psaltes admonet, pretiosus esse debet apud principem sanguis subditorum suorum, neque absque necessaria causa in

periculum adducendi sunt ij, quorum paci et otio principes imprimis debent consulere. Quapropter ego
Christianos homines nequaquam decere puto, ut eiusmodi defensionem à quibusuis petant, quae alijs e-
xitium afferre possit. Multo minus ergo praestari debet, quod iure nullo postulari potest. Paulus
cùm Hierosolymis captus esset, salutis suae praesidium ex legibus Romanis quaesiuit, utpote ciuis
Romanus (quod prius apud Philippos quoque fecerat.) et aduersus coniuratorum insidias praesi-
dio Romani armis sese defendi passus est: quòd ea defensio et licita esset, et ipsi ex iure debebatur.
At idem neque in Iudaea, neque toto illo itinere, quo Romam ducebatur, usquam implorauit Eccle-
siarum opem, ut nimirum qui hinc inde in urbibus Christianam fidem profitebantur, armis sumptis
ipsum tuerentur. Et quàmuis aliquos ex prouinciarum praesidibus illo tempore ad fidem con-
uersos fuisse legamus, utpote Paulum Sergium Cypri, et Publium Melitae insulae praefectum,
nulli tamen horum illi authores fuerunt, ut Christianos armis defenderent, aut in Imperio
Romano sub religionis praetextu motus publicos excitarent. Cur enim hoc facerent, qui
Christum ad Oliueti montem se armis defendi noluisse, et eundem Petro dixisse sciebant: Qui
gladium arripit, gladio peribit."
Sed hic quaeret fortassis Excell.tia tua, num ego Gallos et Belgas damnem, qui aduersus re-
ges suos arma ceperunt, et bella excitarunt ciuilia." Cui ego respondeo, me illos neque
omnes damnare, neque absoluere posse. Quàmuis quoad Gallos haec causa mihi expedi-
tior esse videatur. Nam bellum illud à Condaeo principe, ad quem regni gubernatio secun-
dum leges patrias ex parte pertinebat, pro regij edicti et ipsius regis pueri defensione ex Re-
ginae matris rogatu susceptum fuisse, satis constat: Posterioribus verò bellis Pontificiorum
perfidia et promissae pacis violationes, iniuriae denique notoriae causam praebuerunt. De re-
bus Belgicis autem ego pronuntiare nolim, eò quòd mihi minus notae sint, neque satis con-
stet mihi, quae illic prima fuerit belli occasio. Neque etiam velim in disputationem ingredi,
quae infelices aliqua inuidia grauare possit. Quia autem sacrarum literarum candidatus et Ec-
clesiae Christi minister sum, libenter me intra meae professionis limites contineo, ne quid
dicam in re tam graui, quod Scripturae testimonijs probari non possit. Itaque ut semel ab-
soluam ~~hanc~~ ^huius argumenti^ tractationem, ego Christianos homines nunquam non meminisse velim dicti Christi:
Regnum meum non est de hoc mundo. Huius enim consideratio diligens procul excludet pericu-
losa bellorum ciuilium simul atque exterorum consilia, et ad se pertinere intelligent, quod olim sui sae-
culi credentibus Esaias dicebat: In conuersione et quiete seruabimini, in silentio et spe erit ro-
bur vestrum. Ita fiet, ut neque contra suos principes temere ad arma prosiliant, neque aliorum
turbulentis consilijs seipsos facilè admisceant. Deinde principum Christianorum haec cura sit,
ut singuli intra suae ditionis limites regnum Christi ius caueant atque propagent, doctrinae pu-
ritatem tueantur, morum licentiam disciplina bonarum legum coerceant, superstitiones et cul-
tus illicitos aboleant et extirpent. Quòd si qua ipsis offertur legitima et verbo Dei conueni-
ens verae fidei ad exteros propagandae occasio, ea sedulò utantur: neque hic illos alicuius la-
boris, molestiae aut impensae pigeat. Armis autem in aliena ditione nihil tentent absque
certa et peculiari Dei vocatione: videant autem ne seipsos fallant, et Dei vocationem esse sibi i-
psis persuadeant, aut ab alijs sibi persuaderi sinant, quod sinister aut priuatus carnis affe-
ctus dictat. Haec mihi tutissima Euangelij propagandi ratio esse videtur, quae et Scriptu-
ris defendi potest, et cùm olim tum hodie feliciter cessit omnibus, qui illam secuti sunt.
A belli consilijs ego abhorreo, neque in Scripturis sacris nondum ~~tantum~~ eousque profe-
cisse libenter fateor, ut quae sub religionis praetextu alijs inferuntur bella, illarum authori-
tate defendere possim. Adhaec hoc nequaquam ministrorum Verbi esse puto, ut bella extera
suis principibus suadeant, nisi peculiari Dei mandato id facere iubeantur: quale olim Sa-
muel accepit, quando Saulem aduersus Amalekitas excitauit, quos Deus iampridem
excidio deuouerat. Quòd si verò nostros principes bello adoriantur Pontificiae tyra-

nidis comicati, et Dei verbo profligatam idololatriam invitis rursus obtrudere, veri Dei cultum evertere, atque Romanae sedis iugum denuo omnibus imponere velint: tunc ego non verebor illos hortari, ut coniunctis viribus et cum sancta in Deum fiducia Ecclesias defendant, et (quod olim Joab fratri suo dicebat) fortes sint pro populo suo, et pro civitatibus Dei sui. Nam etsi eiusmodi quoque bellorum eventus dubius et incertus sit, causa tamen, quam tuentur, bona est, et ad ipsos pertinet eius defensio, quos Deus sui populi vindices et Ecclesiae nutritios, cultus denique sui propugnatores in suis terris constituit. Quòd si tunc quoque illis aliquid accidat infelicius, nullam tamen reprehensionem merentur, neque deerit illis remuneratio apud Deum, qui in sua vocatione periclitantes nunquam deserit. Haec annotare volui Ludovice Comes generosiss. quia hoc à me postulavit tua Excell.a cui ego nihil negare possum aut debeo. Nolim autem quae scripsi de hoc argumento in multorum manus venire: non quòd me meae sententiae pudeat, sed ne per me invidia graventur miseri, quibus vel in Belgio, vel in Galliis aut alibi cum immanissimis hostibus res est, et quos bellorum tempestas eò iam adduxit, unde pedem referre non possunt: adeò, ut nisi Deus è coelo manum adiutricem porrigat, illis aut vincendum aut omnino pereundum sit. Pro quibus ego Deum Patrem misericordiarum precor, ut periclitantibus opem ferat, neve nomen suum in ipsis prophanari et hostium ludibriis obiici patiatur. Accipies cum literis istis meos de Circumcisione Sermones nuper editos. Quae apud nos de rebus Gallicis et Italicis feruntur, certius ex iis, qui ad nundinas veniunt, cognosci, quàm à nobis scribi possunt. Videtur Antichristus novas turbas parturire, et extrema tentare: nimirum quòd suam quoque potentiam ubique terrarum labascere sentit: sed hunc brevi (ut spero) abolebit glorioso suo adventu Jesus Christus, in quo tuam Excell.am cum uxore generosissima quàm diutissimè et optimè valere cupio. Tiguri 18 Martii. Anno in carne nati Filii Dei 1574.

Tuae Excell.ae

observantiss.s

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino, D. Lu:
douico à Seyen, Comiti in Vuitgen:
stein &c: domino suo cum omni
obseruantia honorando.

p̄s 11 Apls A° 74.

g. 15

De Ecclesiae dissidiis & pacificatoribus

S. Non minus vere quam pie abs te scriptum est Ludovice Comes generosiss. tristem hanc esse consideratio-
nem, eos, qui puriorem Veritatis doctrina cum vitae et fortunarum omnium periculo profitentur, in plerisque
articulis ita dissentire, ut vix aliqua pacis et concordiae spes reliqua esse videatur. Cuius mali caussas dum
expendo, praecipuae mihi videntur, primum nimia et praepostera praeceptorum admiratio sive observantia,
in quorum verba aliqui iurarunt: deinde quorundam ignavia, quam pacis studio tegere aut palliare conantur.
In priori vehementer peccare adversarios nostros, qui Lutheri partes tuentur, nemo prudens et cordatus
negaverit, quando eo res devenit, ut apud multos tutius sit à Scripturis dissentire, quam in eius scriptis
aliquid vel reprehendere, vel amplius explicatum velle. Quorum pertinaciam auget Principum quorun-
dam senoritas (ne quid gravius dicam) quorum authoritate et minacibus edictis illi ad fratrum oppressio-
nem abutuntur, cum quibus amicam de capitibus controversis collationem instituere, et ad hanc non
minus discendi quam docendi aut antea conceptam sententiam defendendi studium afferre debebant. Ex
nostris autem hucusque non pauci prodierunt, et quidem diversarum nationum homines, qui dum Eccle-
siarum distractionem horrent, aut fortassis sub hoc praetextu suis fortunis et otio metuunt, in quaerenda
concordiae ratione plus studij impendunt, quam in Veritatis sententia tuenda. Quae caussa est, ut ad-
versariorum doctrinam ipsis invitis et reclamantib. mitigare, suam vero plausibiliorem facere conentur,
dum eam novis, et non tam Scripturae sacrae quam eruditae vetustati incognitis phrasibus exornant.
Quod quo animo omnes faciant, nolo dicere, pro hoc autem studio et labore illos non alium fructum re-
portare video, quam quod calumniae crimen vix effugiunt, dum adversarijs sensum alienum obtrudunt,
ipsi vero aliter loquuntur, et aliter sentiunt. Tam ergo abest, ut incendium istud contentionum restin-
guant, ut potius con lignis aridis iniectis, aut oleo infuso, magis accendant, et omnem eius restinguen-
di spem nobis eripiant. Itaque quod Solon olim dicebat, non posse bonum civem censeri, qui in seditione
neutralis esset, hoc mihi ad viros Theologos et Ecclesiarum ministros cumprimis pertinere videtur: q
si Deo et Ecclesiae fideles esse volunt, in eiusmodi sententiarum diversitate, procul abiecta omni tergi-
versatione, ijs se coniungant necesse est, quos Veritatis Verbum sequi vident. Nam ut multa dissi-
mulari possint, quando res adhuc extra controversiam est: ita dissensione semel exorta, non fas est
tacere quod sentias. De ijs ~~[illegible]~~ + qui sententiam rogantur, aut in eo loco et gradu constituti sunt, ut

+ loquor

ad ipsos munus concordiae sarciendae pertineat. Interim nequaquam eos reprehendo, qui cum inter
eos versentur, quibus ipsi praescribere non possunt, pacis consilia sectantur, et quoad eius fieri po-
test, adversariorum ferociam placare student, ut his commodioribus utantur. Enimvero semper mihi di-
splicuit illorum morositas, qui quam ipsi animo conceperunt religionis et Ecclesiasticae disciplinae formu-
lam, omnibus Ecclesijs obtrudere conantur. Qui animus si Paulo Apostolo fuisset, non opus illi fuisset
se omnium captui aut moribus accomodare, neque in suum usque adventum quaedam reservare: sed
communem formulam scripto complecti, et eandem postea ad omnes Ecclesias cum Apostolici mandati
authoritate transmittere poterat. Equidem ^ ex alijs quoque audivi, Belgas in eiusmodi rebus aequo

^ quod tua Excell.a scribit, ^

morosiores esse, adeoque disputationum occasiones venari, quas potius declinare et subterfugere debe-
bant. Quid enim opus est contendere, an panis fermentatus aut azymus in Coena Domini apponi

De pane azymo & fractione

debeat: cum Christum azymorum tempore Coenam instituisse, et proinde azymo pane usum fuisse, fate-
ri cogamur, nisi eum violatae Legis accusare libeat, quae capitis poenam ijs constituebat, qui tunc
fermento vescerentur. Et meo iudicio infermentati panes mysterio Christi, qui illic repraesen-
tatur, melius conveniunt, dum eius puritatem ab omni nostrae vitiositatis simul et pharisaicae
hypocrisis fermento alienissimam adumbrant. Ut vero temere eos damnare nolim, qui cum
azymi panes haberi non possunt, vulgarem et communem panem mensae Domini adhibent: ita
nimium temerarij mihi videntur, qui pro schismaticis eos habent, qui ex veteri Ecclesiae more in-
fermentatis utuntur. Revera autem schismatis nocentissimi authores sunt ipsi, qui tam levi de
caussa ab Ecclesijs secessionem faciunt. Iustior tamen eorum querela est, qui in plerisque Germaniae
Ecclesijs fractionem panis desiderant. Nec enim video, quomodo sine hac possit Coena Domini consiste-
re, quando ipse Christus panem fregit, et ex uno pane inter discipulos distributo omnes vesci voluit.
Apostoli certe huius ritus tam observantes fuerunt, ut in primitiva Eccl[es]ia, quae Hierosolymae coalue-
rat, Coenam vulgo fractionem panis nominarent. Neque id absque gravi ratione fecerunt, quando sine
fractione ne distributio quidem eiusdem panis potest fieri. Est o laude dignissimum, ut et infinita
alia, Illustriss. Principis Electoris factum, qui in Palatinatus Ecclesijs fractionem panis restituit.
Quae si servetur, non multum referre arbitror, sive per templi sedilia ad quosvis sacra symbola de-
ferantur, ut per singulorum manus distributio eorundem fiat: sive communicaturi ad mensam accedant. Li-
cet enim in eo cuiusque loci conditionem et hominum ingenia atque mores observare, ut is ritus re-
tineatur, qui ad aedificationem ut plurimum faciat, et actionem hanc à contemptu quam maxime vin-
dicet. Apud nos certe utrunque fit. Nam in urbe ministri panem et vinum per singula templorum sedi-
lia circumferunt: in agro at, ubi hominum frequentia minor, morum at simplicitas aut ruditas

maior est, post panis fractionem manu ministri factam, et vini infusionem, singuli ex ordine ad mensam
accedunt, ut sacris symbolis participent. Et puto utilius esse, ut libertate ista Ecclesiae singulae fruantur,
modò id absque praeiudicio et contemptu aliorum fiat, quam ut ad unum eundemque ritum omnes astringantur. De die-
De dieb*us* festis bus festis vetus est disputatio, et fateri oportet, superstitionem hic quoque, ut in multis alijs, in immensum
excrevisse sub Pontificib*us* non sine manifesta Dei contumelia, quando Divis dies proprij consecrati sunt,
quem honorem uni et soli Deo deberi, ex Scripturis didicimus. Ideo in nostris Ecclesijs Divorum omnium,
Apostolorum quoque et Divae Virginis, festa abolita sunt: servamus autem diem natali Christi sacrum
Circumcisionis item et Ascensionis: neque in eo nos putamus peccare, quando et Filius Dei aeternus
est Christus, et istorum memoria de praecipuis nostrae fidei et salutis capitib*us* nos admonet. Olim
quidem in Argentinensi Ecclesia istas quoque ferias D. Bucerus aboleverat. Sed cum ea res plus
scandali pareret quam aedificationis, et contentionum inter cives atque vicinos seminariu*m* esset,
easdem non inutiliter reduxit. Et puto dies Christo sacros religiosius observari, quàm in civitas na-
tali de sontibus supplicium sumi, aut eosdem publice virgis caedi; quod quanto cum scandalo et to-
tius viciniae exacerbatione annis superiorib*us* Genevae factum sit, non sine dolore vidimus. Quòd
De no*m*i*n*e JESU ad nomen IESV nullam prorsus honoris aut reverentiae significationem fieri volunt, nescio qua au-
thoritate tueri possint. Fateor, multos nomine isto superstitiose et impie abuti, Exorcistas nimirum et Magos
atque veneficiorum magistros: Quid verò hoc ad pios, quibus et nomine IESV nihil est pretiosius, quod u-
num sub coelo esse sciunt, per quod homines servari possint: Ita nulla pietatis lex vetat, quo minus cum
publico honoris et reverentiae testimonio illud usurpent. Enimvero Paulus Christo nomen datum esse
dicit, quod sit super omne nomen, ut ad nomen IESV omne genu se flectat coelestium ac terrestri-
um et subterraneorum. Quem locum etsi plerique interpretentur ἀνθρωποπαθῶς dictum esse, ad ex-
primendam Christi dignitatem, quidam etiam huius dicti Paulini complementum in extremum usque
eius adventum reijciant, quando omnia quae vel in mundo vel supra mundum sunt, illum pro Deo
agnoscent: nescio tamen, qua ratione reprehendi possint, qui quam de illo conceperunt existimationem, pio
et religioso gestu foris testantur. Sunt igitur hic quoque aequo morosiores, qui hominib*us* pijs et ab omni
superstitione alienis litem movent. Verentur fortassis, ne in superstitionem papisticam hoc aliquando de-
generet. At mihi omnis superstitionis causa apud papistas esse videtur, quod de Christo IESV non
satis honorifice sentiunt, ideoque illum in Divorum gradu collocant, aut certe non multo plus illi quam
his tribuunt, cum hos quoque suos intercessores et advocatos faciant, et horum meritis non minus
quam Christi merito se iuvari credant. Cui errori tunc demum recte medebimur, si in hoc simus, ut o-
mnes intelligant, quanto Christus super omnes sanctos emineat, et quod de illo pie sentiunt, verbis,
factis et gestibus publice testentur. Sed de his pluribus ago quam opus sit apud tuam Excell.^tiam^ non
tamen huic ingratam fore puto meam verbositatem, cur istorum ipse mentionem facias in tuis lite-
ris, et inter eos agas, quos scio eiusmodi quaestiunculis scatere, ex quibus disputationes nascun-
tur supervacaneae, quae ut parum faciunt ad aedificationem, ita multos offendunt, et tandem in
Catechismus lites exeunt nunquam finiendas. Catechismum, quem Excell.^a^ tua aut ipsa conscripsit, aut
ab alio conscribi curavit, inspexi quantum per alias occupationes licuit. Probo autem vehementer
studium illud tuum, quod utinam imitarentur principes viri cum in hac parte doctrinae tum in
multis alijs. Frustra enim de religione disseritur apud eos, qui huius principia non recte didicerunt.
In Lutheri Catechismo multa semper desideravi, imprimis verò illud, quòd Dei praeceptum de imaginib*us*
totum omisit: quod ego non tam brevitatis studio factum puto, quàm ne contra se disputandi occa-
sionem praeberet pijs, qui imaginum usu in templis non immerito offenduntur: quem ille mordicus reti-
nuit, et quarum sordibus Saxonicae Ecclesiae adhuc pollutae sunt. Bene igitur abs te factum est Ludovice
Comes, qui quam ipse Deus confecit suae Legis epitomen, noluisti ita contrahere, ut aliquid ex ea
auferendum putares. Nam qui hoc audent, ij mihi à sacrilegij crimine non procul abesse videntur, et insuper
Deum ipsum nimiae et inutilis verbositatis accusare. In caeteris quoque nihil desidero. Nam etsi quae-
dam planius dici poterant, video tamen tibi loci et eorum, inter quos versaris, rationem habendam esse, nec
dubito te viam sternere, ut per haec principia tandem ad plenam reformationem perveniatur, qua abu-
sus et superstitiones omnes radicitus extirpentur. Quod ut brevi fiat, orandus erit ille, qui solus
dat incrementum. Quòd at inter media salutis externa disciplinam Ecclesiasticam numeras, etsi
per se nequaquam improbem, rogo tamen Excell.^tiam^ tuam, ne aegre ferat, si de hac re aliquid dixero,
de qua hodie inter multos controvertitur, et nisi quorundam ambitiosus rigor principum authoritate tem-
peretur, turbas aliquando dabit maiores, quàm ut facile sedari possint, et novam in Ecclesias tyrannidem inve-
De Eccl*esi*ae disciplina het Pontificia nihilo tolerabiliorem. Ecclesias absque disciplina consistere non posse, fatemur omnes, et ut
ea sanctissime instituatur atque servetur plus quam necesse est. De huius at formula non inter omnes conve-
nit. Vestri homines praecipuum disciplinae caput in exclusione à Coena Domini constituunt. Adhaec ex-
clusis certum tempus praescribunt, quo à communione abstinere debeant. Utque suam disciplinam tueantur,

Senatu Ecclesiastico opus esse aiunt, cui omnis loci et ordinis homines, ipsique principes, subijcian-
tur. At ista eiusmodi sunt, ut de eorum veritate pij et cordati non temere dubitent. Etenim non absque
necessaria causa quaeritur, an Coena Domini, quae ut coionis et societatis Christianae symbolum sit,
utque fidei confirmandae serviat, à Christo instituta est, in usum planè diversum, adeoque Christi
instituto contrarium, converti debeat: ut nimirum dissociationis et exclusionis organum, et conscientia-
rum carnificina fiat. Deinde cum cum Pauli regula hoc pugnet, qui ut quisque seipsum probet,
non ut aliorum conscientias curiosius scrutemur, iussit. Item cum durum et iniquum sit, pecca-
torem, qui seria poenitentia tangitur, quemque iam procul dubio in gratiam receptum Christus
ipse suo corpore et sanguine pascit, ab eius mensa arcere, immò prohibere, ne Domini et Servato-
ris sui mortem publicè cum Ecclesia, cuius membrum germanum est, praedicet. Praeterea, an
non monstri instar sit, duos in uno populo magistratus instituere. Ita enim, aut politicus ma-
gistratus excludetur ab eorum cognitione, quae ad morum disciplinam spectant: aut uterque simul cir-
ca hanc occupabitur. Quòd si illum excludamus à morum disciplina, id contra Dei leges faciemus,
qui sua iudicia viris principibus credidit, et ijsdem, ut malum è medio populi sui excindant, ma-
davit. Sin verò illam his quoque committemus, vix vitari poterit confusio, et alter alterum impediet,
aut saltem cessare debebit in hac parte politicus magistratus, donec causas eiusmodi Ecclesiasticus
ad illum remiserit. Itaque non habebit ille quod agat, nisi prius Seniores illi causas cognoscant, et
illi de his decernendi potestatem faciant. Emergent ergo hinc novae tyrannidis cormina, et paulatim
cristas attollent ambitiosi Ecclesiarum pastores, quibus facile fuerit suos assessores in suas partes attra-
here, cum ipsi inter hos primatum teneant. Et hoc me non absque ratione dicere intelliget Excell.a
tua, si quae speciminia vestri illi iam apud vos dederint, diligenter quaesieris. Etenim à Coena abstine-
re per illos iussi sunt spectatae pietatis et probitatis viri, qui cur hoc iuberentur, nunquam rescire po-
tuerunt. Sed sufficiens res sensum esse visum est novis illis alienae fidei dominatorib. quòd ipsi
salva sua conscientia illos non possint admittere. Ergo ne propter morosi aut importuni pastoris
conscientiam vir pius à sacro epulo abstinere, et in praedicando mortis Christi beneficio suum
officium debet negligere. Tolerabilius multò agunt Pontificij praesules, qui cur nos pro schismati-
cis et excoicatis habeant, liberè edicunt, neque nobis nos purgandi occasionem eripiunt. Quid ergo
fore speramus, si quando regnum suum stabilierint, cum hae sint huius disciplinae primitiae, pro
qua illi tantopere digladiantur. Mihi certè consultius videtur, ut ministri intra suas metas sese con-
tineant, magistratibus verò committant quae ad morum et vitae disciplinam pertinent. Scio illos obijcere, Magi-
stratus non semper officium facere, et proinde alio Senatu opus esse, qui illos in ordinem redigat. Ego
verò ^hanc^ consequentiam nego, cum quod dicunt, nullo exemplo prophetico sive apostolico probare possint.
Ministrorum quidem est, principum ac iudicum vitia moresque corruptos corripere, eosdem officij admone-
re (quod olim Prophetas fecisse legimus) ut verò eosdem, si segnes esse pergant, aut mali exempli
authores sint, alij magistratui mulctandos aut excommunicandos subijciant, nusquam me legisse me-
mini. Prophetas certè nihil huius fecisse constat. De apostolis non opus est dicere, quorum tempo-
re magistratus Christiani nulli fuerunt: Quae causa fuit, ut in Ecclesijs necessariò Seniores con-
stituerentur, qui morum disciplinae praeessent: quod hodie et fieri oportet sub tyrannis fidei persecuto-
ribus. Alia longè est nostrarum Ecclesiarum ratio, quibus ex singulari Dei beneficio principes Chria-
ni dati sunt, qui etsi suos naevos habeant, tamen eorum authoritatem ministri tueri, non ex illis
publica spectacula facere debent. Rogo autem Excell. tuam, ut aliquando privatim de tota hac causa
cum D. Erasto, viro eruditione et pietate singulari praedito, conferat: neque eos audiat, qui optimè
meritum oderunt et persequuntur, adeoque ex illis locis eiectum volunt, in quibus ipsi fortassis nidum
vix inventuri fuissent, nisi alij primam glaciem fregissent, inter quos istius viri eruditio et stu-
dium praecipuè eluxit. Scripsit hic sub initium huius tragoediae theses aliquot, quibus totum hoc
negotium complexus est. Probavit has D. Bullingerus cum toto nostro collegio. At confutationem
earundem D. Beza instituit: sed quod tanti viri pace dixerim, parum profecit. Nolim tamen
apud vos novas turbas excitari. Hoc potius opto, ut quae per novatores aliquos invecta est
confusio, paulatim aboleatur. Quod facilè fiet, si qui rectius et moderatius sentiunt, tutò sub il-
lis agere, et quod animo sentiunt ^alijs dijudicandum^ modestè proponere possint: Theologi verò à Reipub. gubernacu-
lis et bellorum consilijs atque negotijs aulicis, ad suggestum et scholas remittantur: quae propria illorum
arena et palaestra est, in qua sese exerceant. Quod praeterea scribam, ni habeo. Nam quae apud
nos de rebus Belgicis et Gallicis feruntur, certius ex nundinis cognosci poterunt. Galliae Rex
novus Poloniae regnum, quod largitionib. immodicis turpiter mercatus erat ab hominibus

propriae patriae et libertatis venditoribus, turpiori fuga reliquit: et ne nunc quidem certo scitur qua via in nidum suum tridentinum et indignissimis caedib. madentem redierit. Suspiciones non leves sunt, illum per nos iter fecisse. Sed lucem fugiunt ij, quorum opera mala sunt. Curia Rhetorum 23 Julij incendio, ex levi et tantummodo ridicula causa in gallinario quodam exorto, plus dimidia parte horribiliter conflagravit eo ipso tempore, quando illic milites colligebantur, et signa militaria fiebant, quae in Galliam adversus piorum reliquias educerentur. Non cessat Deus iudiciorum suorum exempla edere: sed infelix mundus, quia totus venter est, oculis et auribus caret, quibus ista percipiat. Deus Opt. Max. suorum misereatur, tuamque Excell.tiam cum uxore generosiss. servet et Spiritu suo regat ad nominis sui gloriam et multorum salutem. Tiguri 28 Augusti. Anno 1574.

Tuae Excell.tiae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus

Illustri et generoso Domino
D. Ludovico a Seyn, Comiti
in Vuitgenstein etc. domino
suo cumprimis venerando.

ps 20 Sept. 74

S. Cum Excell.ae tuae literas, quae sexto Iduum Septemb. datae erant, legissem, quibus
Crosshouerum nostrum sine meis literis venisse scribebas, non parum animo pertur-
babar: quòd vererer, ne hae vel amissae essent, vel in aliorum quàm ego vellem ma-
nus peruenissent. Sed vbi ex Crosshouero intellexi, ipsum meas literas filio meo
ad Excell.am tuam perferendas tradidisse, omni cura leuatus, adeòque vehemen-
ter gauisus sum, filio eam occasionem oblatam fuisse, qua te Dominum meum
perpetua obseruantia honorandum coràm videre et alloqui posset. Id verò ei iucun-
dissimum accidisse, ex ipso domum reuerso intellexi. Nam Excell.ae tuae mirificam
erga se humanitatem mihi magnificè praedicauit, pro qua si non dignas, sal-
tem quas possum gratias ago, habebo autem semper quoad vitam hanc mihi
Deus concesserit. Vt verò ad Excell.ae tuae literas priores redeam, agnosco
ingenuum candorem, quo motus meam de propositis quaestionibus senten-
tiam hucusque non facilè alijs communicare voluisti. Quia autem eam tuae
Excell.ae iudicio probari intelligo, posthac non moror, quò minus de ea etiã
meo nomine cum viris grauibus et amicis, qui Veritatis potius quàm con-
tentionum cupidi sunt, conferas. Nam quò diutius et diligentius de causa
ista cogito, et quid hucusque factum sit expendo, eò magis in sententia mea
confirmor: vt putem nihil tutius et nostrae professioni conuenientius esse,
quàm à bellicis consilijs abstinere, ne causam optimam sanctissimamque bel-
lorum non necessariorum aleae incertae committamus: imò eorum libidini tantum
non subijciamus, quorum plerique ab omni religione alieni, nihil praeter ra-
pinas et quaestum priuatum quaerunt. Etenim ea hodie sunt hominum stu-
dia, hi mores, vt multa et matura deliberatione opus sit, priusquam res ma-
gnas et arduas, cum publicae salutis periculo coniunctas, aggrediamur.
Nec dubito tuam Excell.am quae eius prudentia est, id iam pridem perspe-
xisse, et ideo maluisse domi suae priuatam vitam ~~a~~ agere, quàm in aula inter
publica negotia versari. At hîc simul Excell.am tuam meminisse velim, nos
non nobis solis natos esse, magnum item discrimen esse inter eos, qui ex le-
gitima vocatione res ad se pertinentes agunt, et alteros illos, qui suae professi-
onis fines transgressi aliena tractant, aut etiam non rogati aliorum consilijs
sese immiscent. Illos enim, etsi non omnia pro voto succedant, suae tamen professi-
onis necessitas, et Dei, cui vocanti paruerunt, voluntas excusat: horum autem
ambitiosa curiositas cum praecipiti temeritate coniuncta poenas graues et sem-
piternam infamiam meretur. Talentum sanè non exiguum tuae Excell.ae cre-
didit Dominus, quod vt cum foenore aliquando ad ipsum redeat, annitetur
illa non dubito, et eius perficiendi vberrimam occasionem atque materiam
habet apud eum Principem, qui vt animo erga pietatem optimè affectus est,
ita authoritate praestat, et dignis. est, quem pij bonique omnes suis consi-
lijs iuuent, ne qui eius bonitate abutantur. Quamobrem non minus piè
quàm prudenter illi consuluerunt, quorum ~~pi~~ authoritate te persuasum scri-
bis, te hoc officium pietati et patriae debere. Iucundissim autem mihi fuit
audire, D. Erastum tuae Excell.ae familiarissimum esse. Spero enim eam in-
dies magis atque magis intellecturam, hominem esse non vulgaris eruditionis

et pietatis, iudicij autem acerrimi, et proinde dignum, qui prae multis alijs ametur et in pretio habeatur. Quia autem de tua Clementia mihi nihil non polliceor, non possum non ei praeterea commendare duos affines, quos illic habeo, charissimos: alterum in Schola, Doct. Albertum Blarerum, Medicum, vxoris meae fratrem germanũ, et filium amplissimi doctissimique viri, Thomae Blareri, qui olim Philippo Melanthoni et Joach. Camerario studiorum socius fuit, postea et melioribus temporibus Constantiae in patria Consulatum gessit, donec illa in Ferdinandi Austriaci potestatem venit: alterum, in aula nobilem, huius et vxoris meae consobrinum, Achiorem ab Ulm Griessenbergium, cuius mater, socerí mei soror, heroina pietate et omnis virtutis genere ornatissima, apud omnes pios in ea Helvetiae parte, quam incolit, in honore et pretio habetur, propter praeclara et totius familiae in rem Christianam merita. Scio neque hunc neque illum mea commendatione opus habere: quia tamen et ego illos amo, et me ab ipsis vicissim amari non dubito, hoc meum officium neque tuae Excell.tiae neque illis ingratum fore confido. Dominus noster Jesus Christus Excell.tiam tuam seruet, et huic anni huius noui ingressum atque progressum aus[p]icatissimum faciat. Amen. Tiguri 27 Decembris. Anno 1574.

Tuae Excell.tiae

obseruantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Gradeto.

Generosiss.º et Illustri
Dn̄o, D. Ludouico Comi:
ti Vuitgenstrinio etc:
et Magno aulæ Magi:
stro, domino suo per:
petua obseruantia hono:
rando etc.

Pr. 10 Ian: A.º 75

Nro.
§ 21

S. Quia sub finem Decembris ad binas Excell.ae tuae literas, quae 8 et 27.a Septembris da-
tae erant, respondi, tibi verò Domine mihi perpetua observantia honorande, non licuit
tunc prolixius ad ea respondere, quae ego de tua Catechesi scripseram, ipse nunc quoque
brevior essem (quando praeter rumores varios et incertos vix aliquid memoratu dignũ
occurrit) nisi scribendi occasionem et argumentum non minus iustum quàm am-
plum mihi praeberet generosus et verè nobilis Vir, Joannes Philippus ab Alto saxo
qui has tibi reddet: et quem tuae Excell.ae non amantem modò, sed observantissi-
mum quoque esse intelligo, et quem vicissim dignissimum esse scio, quem omnes pij
et boni ament, et quem tu in tuam tutelam recipias, omnique favore comple-
ctaris. Nam ut de generis et familiae antiquissimae nobilitate nihil dicam,
cum haec vulgò omnibus nota sit, eo parente natus est, quem ego inter sui
loci et ordinis homines nemini cedere arbitror, sive rei militaris peritiam,
sive animi virtutem et pietatem in Deum spectes. Etenim etsi inter me-
dios Papistas habitaret, tamen superioribus annis in suis terris Ecclesiae reformationẽ
magno animo aggressus est, et eandem feliciter (non tamen absque multorum odio
et invidia) perfecit, inque eo quod bene coepit, in hunc usque diem constantissimè
perseverat. Filium verò iam inde à pueris in nostra schola in vera pietate et bo-
nis literis instituendum curavit, in quibus ille tantos progressus fecit, ut paucos esse
putem sui ordinis iuvenes, qui cum ipso sint conferendi. Scit enim Excell.a tua,
eos qui genere et natalibus praestant, etiamsi dum pueri sunt, literarum studijs
conserentur, adultiores tamen his ferè valedicere, dum vel ad arma, vel ad hu-
ius mundi illecebras atque ~~illecebras~~ + animum applicant. At noster hic ne

\+ delitias

nunc quidem ex Musarum castris discedit, sed in hoc unum intentus est, ut
subinde discat, quae et sibi ornamento, et alijs utilia sint. Accedit eruditioni
morum suavitas cum probitate et honestate coniuncta, et cum his multarũ
rerum usus, quem ex longinquis peregrinationibus sibi acquisivit: quae omnia
Excell.ae tuae iucundissima fore non dubito. Non potui ergo non tibi Domine
mihi perpetuò honorande, illum commendare, quamvis neque eum alienis co-
mendationibus opus habere, neque me eum esse sciam, qui huius loci et ordinis
hominum causam apud me multò praestantiores suscipere debeam. Quia n.
illum, quo animi candore et ingenuitate praeditus est, mei p non pudere scio,
idemque filio meo, cum puer in nostra schola ageret, postea verò Genevae
Heidelbergae et in Anglia studiorum socius, et postremò in longa et peri-
culosa peregrinatione terra marique comes fidissimus fuerit: nae ego ini-
quus essem, si hoc officium, quod ei gratissimum fore sciebam, ei voluissem nega-
re: et quod fortassis propter malevolorum quorundam calumnias non omnino
supervacaneum censeri poterit. Nam etiamsi illum sua virtus abunde co-
mendet, non defuerunt tamen, qui aliquando eius statum atque natales
in aula vestra apud Illustrissimum Principem Electorem in dubium vo-
care conati sunt: homines non minus iniqui quàm maligni et Veritatis
odio excaecati: et iam nunc quoque inter nonnullos aliquid mussitari audi-
vimus. Ne quid ergo apud Excell.am tuam dissimulem, sciat haec, eius
parenti primis nuptijs ductam fuisse generosam Virginem ex Comitum Zoll-
rensium familia, ex qua ille liberos complures genuit. Accidit autem ut
illo in castris Gallicis militante, illa cum eius fratre illegitimè nato stu-

pri consuetudinem haberet, et ex eo impregnaretur. Itaque maritus domum reversus gra-
vidam deprehendit, et quamvis illa rem initio dissimulare conaretur, tamen quod
verum erat tandem confessa, neque ullam ab illo vim aut contumelium passa est.
Voluit ~~et~~ enim generosus et magnanimus Baro iure et legibus agere: et quia illa
Lindavium migrarat, et in monialium nobilium, quod illic est, collegium erat
recepta, ille cum iam inde ex maioribus suis civis Tigurinus sit, causam hanc
ad nostri Consistorii iudices (quibus ego tunc ab ampliss. Senatu extraordi-
nario adiungebar) retulit, eaque diligenter cognita et sententiis legitime dictis
hoc uxoris adulterae et incestae coniugio solutus atque liberatus est. Postea
vero coniugem aliam duxit, non quidem genere et loco ei parem, piam tamen et
Veritatis evangelicae studiosissimam foeminam, ex qua noster hic Joannes
Philippus aliique eius fratres et sorores nati sunt, thoro nimirum legitimo. Quod
vero uxorem sibi imparem Baro duxisset, plerosque suorum cognatorum atque affi-
nium offendit: inter quos eius quoque consobrinus fuit, Comes Monfortius, ho-
mo superstitiosus et vehementissimus evangelicae Veritatis hostis, qui primus in
aula vestra hanc Camarinam movit, non tam imparis istius coniugii dolore, quam
reformationis non multo post illud a Barone Altosaxio factae (cuius supra
memini) odio adductus. Sed et filium ex Comitissa Zollerensi natum sibi minus
aequum habet: et hi omnes cum patrem non amant, novercam vero cane et an-
gue peius oderint, ex hac natos fratres non possunt magni facere: et nisi me ani-
mus fallit, ipsi a Musis et literis alieni, Joanni Philippo eruditionem et quem
sibi sua virtute parat ~~apud~~ principum virorum favorem invident. Haec non
tam meo quam Dni Bullingeri (qui ex calculi et difficultatis urinae acutissi-
mis doloribus gravissime decumbit) nomine ad tuam Excell.am diligentius scribe-
re libuit: ut si qui huic nostro lites novas moliantur, aut saltem eum aliqua ra-
tione in contemptum adducere velint, tu mi Domine honorande, de tota causa
vere et solide instructus, illum melius tueri queas, quod Excell.am tuam fi-
delissime facturam esse non dubito, cum et causa per se bona iustaque, et ipse di-
gnus sit, cuius patrocinium boni et pii omnes suscipiant atque curent.
Quae apud nos feruntur, non adeo multa, et (ut initio dixi) fere incerta sunt.
Galliae rex ad pacem iam magis inclinare videtur, quando hostium numerum indies
augeri, et res suas infelicius succedere videt. In Liffroni oppiduli obscuri obsidione exer-
citus eius cladem magnam accepit, dum quinquies muros expugnare conati, toties a
militibus et mulieribus hos fortissime propugnantibus repulsi, et tandem obsidionem
solvere coacti sunt. Nostri cum aliis Civitatibus Helvetiae Evangelicis iampri-
dem legatos ad Regem mittere statuerant: sed quo minus hi progrederentur, Orato-
res Regii obstiterunt, dum rem mirificis artibus extrahunt, et novas quotidie mo-
ras fingunt: sperantes nimirum, fore, ut interea Rex Hugonothis superior factus,
ex sua voluntate de illis statueret. Nunc vero cum secus res ceciderit, iidem causam
hanc apud nostros agere et urgere incipiunt, non tamen sine novis artibus, ut
nostris Papisticorum quoque Cantonum (ut nos loquimur) legatos coniungant.
Itaque Comitia Badenae agentur ad proximum Lunae diem, in quibus de re tota
deliberetur. Ego vero hinc colligo, res Regis pessimo loco esse: eo tamen, quo ille
dignus est. At nobis interea cum impudentissimo et vanissimo Sycophanta,
Jacobo Andreae, negotium fuit, ad cuius librum maledicum, quem contra nos no-
minatim vulgavit, respondimus: cuius responsionis exemplum mitto, quod Ex-
cell.a tua, si quando per negotia alia licebit, inspiciet. Videbimur fortassis nonnul-
lis vehementiores aequo fuisse: sed merebatur profecto hominis ambitiosi et maledici
vanitas, ut ei larva detraheretur aliquanto liberius.

Italiam totam Turcici apparatus metu trepidare certum est, et eandem multis portentis terreri aiunt. Cum nuper Melitenses equites post habitam ex animi sententia consultationem, ad quam solenniter convenerant, vexilla sua militaria pro more in murorum pinnaculis affixissent, et displosis bombardis maioribus aliquod darent laetitiae militaris indicium, horribiles ventorum procellae siue turbines subito exorti, illa laniata et convulsa in mare deturbarunt. Assisij (quae S. Francisci patria esse fertur) cum eius ordinis templum sub vesperam clauderetur, quidam orans in eo repertus et exire iussus est. At cum Monachi ad matutinas suas convenissent, illum in templum reversum esse invenerunt. Itaque in locum secretiorem abductus et illic conclusus est, ut examinaretur, qua via aut ratione in templum clausum redijsset. Sed ex eo etiam loco elapsus, rursus in templo orans comparuit. Illis vero ipsum adiurantibus respondit, se illuc missum, ut suo exemplo omnes ad preces indesinenter faciendas excitet, propter horribiles, quae toti orbi Christiano imminent, calamitates. Bononia scribitur, malleum aureum, quo Papa ineunte Iubilaeo portam auream aperire solet, in eius manu confractum fuisse, cum illum materiae incuteret. quod ostentum multos terruit. Atqui constat, Bonif. VIII Papam, ante annos 275 primum Iubilaei anni celebritatem ex Iudaismo revocavisse, et eodem anno regnare coepisse Ottomannum, à quo Turcicorum Imperatorum, qui hodie regnant, linea deducitur. Quid si ergo in fatis sit, ut ijdem frangant tandem istorum hominum malleos, qui hactenus Verbi Dei doctrinam hostiliter persecuti, nullas reformationis Christianae leges volunt recipere: et ipsi, dum caelos aperire et ex his quas cum facere conantur, eversa prorsus sua tyrannide ad inferos detrudantur? De Belgicis et Polonicis rebus vos certiora, quam nos, ~~pos~~ potestis nouisse. Ego quod his addam non habeo. Dnus Bullingerus inter gravissimos dolores atque gemitus mihi quam diligentissime mandavit, ut eius verbis tuae Excell.ae salutem quam officiosissime adscribam. Nos certe omnes tanti viri adversa valetudo vehementer solicitos habet, me tamen hic dolor propius et acutius vulnerat, qui illo praeceptore et patre à pueris usus, et eidem non uno affinitatis vinculo coniunctus sum. Iuvate nos quaeso precibus vestris apud Deum, ut et eius et communis Ecclesiae misereatur, et hoc tempore fidissimum pastorem nobis conservet. Deus Opt. Max. tuam Excell.am cum generosiss. coniuge servet atque regat ad sui nominis gloriam et Ecclesiae suae conservationem. Amen. Tiguri 3 Martij. Anno nati Christi 1575.

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Heidel

Continet commendationem D. Hypsiconem
dn̄i de Alto Saxo
Nec Iacobus a Bonifacio 8 institutis

Illustri et generoso Domino
D. Ludouico à Sehen, Comiti
in Vuitgenstein &c. domino
suo perpetua obseruantia
honorando.

Praesentatum 19 Aprilis 75

§ 22. Resp.

S Merebantur Excell.ae tuae literae posteriae diligentem et prolixam responsione, sed si brevior
sim, condonabit hoc illa mihi, cum propter occupationes, quas pertinax D. Bullingeri mor;
bus mihi quotidie auget, tum quod reipsa experimur, nobis quoad alterum epistolae tuae
caput de Excommunicatione, neque utile, neque amicis, quos illic habemus, satis tutum esse,
ut ignem illum porro fodiamus, quem nonnulli illic accenderunt, et qui eo usque (ut me;
tuo) exardescet, ut neque ipsi, neque alij fortassis eum possint restinguere. De prima quae;
stione, num subditis pro religione contra suum magistratu arma capere? num ve exte;
ri princeps in aliena ditione eos, qui illud faciunt, armis iuvare debeant? meam sen;
tentiam exposui, quam Dei Verbo consentaneam esse scio, neque me eius adhuc pudet:
et gaudeo nos nunquam eorum consilijs subscripsisse, qui bellorum eiusmodi fuerunt suasores.
Nec puto nos, qui Evangelium pacis praedicamus, bellica consilia tractare debere. In;
terim minime eos reprehendo, quos peculiaris Dei vocatio urget (qualem olim Jehu
habuit, et alij similes) ut tale quid faciant. Moneo autem eos, qui me consulunt,
ne statim pro Dei vocatione habeant, quod vel doctissimi Verbi Dei praecones in eiusmo;
di causa ipsis suadent: cum non ignorem, quid olim Nathano templi aedificationem
Davidi temere suadenti acciderit. Quid in genere a nobis Deus exigat, eius Verbo do;
cemur: In particularibus et extraordinarijs negotijs magna cautione opus est, ne sub
Verbi Dei praetextu Zelo praecipiti nos seduci ac decipi patiamur. Olim certe divini
cultus et communis patriae vindices videri poterant prophetae, qui Nabuchodonozori
resistere, et urbem sanctam cum templo adversus illum auxilijs undique conquisitis
tueri iubebant. Quid enim hoc aliud erat, quam quod prius Asa, Josaphat, Ezechias
magna cum laude et felicissimo successu fecerant? At longe alia tunc erat Dei vo;
luntas, quae Jeremiae revelata fuit, qui urbis deditionem et voluntariam in exilium
abitionem suadebat. Exempla, quibus diversam sententiam aliqui tuentur, non
video, quomodo ad hanc causam faciant. Eiectus est ab hominum contubernio Nabu;
chodonozor: sed hoc Deo sic iubente et statuente factum fuisse legimus. Athaliam occidit
Joiada Sacerdos: sed supplicium hoc meruerat extera foemina, quae contra legem Dei
in regnum Juda introducta idololatriam invexerat, et inaudita prius crudelitatis
parricidio regium semen omne extinxerat: sed et eius puniendae authoritas penes Joia;
dam erat, apud quem Deus Joam mirifice servatum deposuerat. Neronem quoque
patriae hostem, et supplicio dignum pronuntiavit Senatus Romanus: Id vero hic ex
authoritate sua fecit, quae etsi per Imperatores magna ex parte oppressa, nondum tamen
omnino sublata erat. Quoad maiores nostros, qui Helveticae libertatis et foede;
ris primi authores fuerunt, historiae docent, nihil illos adversus legitimos suos ma;
gistratus tentavisse, sed pro Imperatore Ludovico IIII contra praefectos Austria;
cos, qui et in schismate per Papam facto sui principis partes tuerentur, illos contra ius
et fas conabantur opprimere, pugnaverunt. Neque Austriacae ditionis fuerunt Uri;
ani, Suitenses et Underwaldij, qui primi foedus fecere, sed Imperij pars erant: Au;
striaci vero, qui prius illic capitalium causarum praefecti fuerant, et nunc novo
Imperatori locum cedere debebant, contra huius voluntatem gradum suum pertina;
citer tenebant, et in maiores nostros, quos cum Imperatore Ludovico Papa excom;
municarat, crudelitatis saevissimae edebant exempla. Iure igitur illi suam libertatem
defenderunt, et pro patria simul ac Imperatore pugnarunt: qui fidem illorum praemio di;
gnam putavit, et foedus illud primum authoritate Imperiali stabilivit. Idem de Tiguri;
nis possum dicere. Fateor tamen, postea Austriacas quoque terras a nostris occu;
patas fuisse: sed id belli iure factum est, cum principes illi maioribus nostris prio;
res arma inferrent, et foedus ab Imperatoribus confirmatum ipsi contra ius omne

dissipare vellent. Sed nolo nunc in disputatione ista longius progredi, cum nec temporis
angustia hoc permittat, neque me libenter negotijs alienis immisceam, de quibus senten-
tiam meam absque multorum inuidia non possim proferre. Quoad alteram quaesti-
onem, negant vestri illi se praecipuum suae disciplinae caput siue neruum in exclusione à
Coena constituere, sed in admonitione ad poenitentiam secundum gradus à Christo prae-
scriptos, itemque denuntiatione exclusionis à regno Dei, ex qua deinde altera illa à Coena
exclusio dependet. Quos ego libenter interrogauerim, cur ergo nobiscum litigent? cur nostras
Ecclesias pro impuris habeant, in quibus admonitiones illae adhibentur, et insuper commi-
nationes Apostolicae de incurabilib. et poenitere nescijs à regno Dei excludendis in oib.
propè concionibus audiuntur? Cur item ordine praepostero aduersus illos procedunt, quos
semel odisse coeperunt, eò quòd ipsis non per omnia consentiant? Cur nulla admonitione
praecedente viros bonos et inculpatae vitae, D. Grynaeum, Maderum, Erastum vestrae
Academiae lumen et decus singulare, à Coena abstinere iusserunt, non alia causa reddi-
ta, quàm quòd ipsi eos salua conscientia non possint admittere? Ergo ne vir pius pro-
pter ipsorum morositatem à Coena abstinebit? Imò cur non disertè respondent interrogati,
cur hunc vel illum abstinere iubeant? Si negent hoc ipsos fecisse, ego non miror: nam
ita illos solere iam exemplis aliquot didicimus. Fortassis negabunt etiam, Maderum
indicta causa in carcerem coniectum esse, quod tamen lippis et tonsoribus notum est.
Quàm verò indignis modis nuper ab illis D. Erastus tractatus est, qui nisi sua eru-
ditione et prudentia primam glaciem illic secuisset, ipsi fortassis non haberent lo-
cum? Illum iniquè et falsò accusatum esse, omnibus perspectum est: attamen ut
ipsis supplex fiat ab eo petunt, ut vel hac ratione aliquam ignominiae notam viro opti-
mo et doctissimo inurant, quem potius ipsi deprecari, et de eo sibi reconciliando
laborare debebant, quem iniuria laeserunt. Quòd à principum excommunicatione
iam abstinendum esse dicunt, rectè faciunt, et sanè sapiunt, dum suae pelli cauent.
At aliam fuisse illorum sententiam initiò, primae propositiones, quae illic disputatae sunt,
testantur. Et si Excommunicatio illa tam est necessaria, quàm ipsi dicunt, ij prae
alijs excludi debebant, quorum exempla plures offendunt. Sed nobilibus quoque il-
lic per illos nihil non licere audio, modò disciplinae nomine coloratam Exco-
mmunicationem non improbent: Nimirum quòd istos quoque absque periculo
cogi non posse vident. Fit ergo, quod Satyricus olim cecinit: Dat veniam coruis,
vexat censura columbas. De alienis ab Eccl̄ia et fidem diuersam profitentibus
vel etiam oēm fidem negantib. nulla nobis unquam lis fuit: sed quòd illi peccatores
qui peccata sua confitentur, cum Eccl̄ia item reconciliari et Christi mortem publicè
praedicare cupiunt, à Coena arcent donec ipsorum cupiditati satisfecerint, id verò impro-
bauimus, et adhuc improbamus: et fateor me non videre, quibus Scripturae locis
illud probari possit. Quòd inter iudicia de moribus Ecclesiastica et Politica di-
stinguunt, principij petitio est. De eo enim inter nos controuertitur, num duo di-
stincti magistratus esse debeant inter eos, qui sub principibus Christianis agunt, et
morum disciplinam legibus ~~pe~~ ex Dei Verbo petitis habent constituta. Hoc illi acriter
affirmant, quia hic de sui dominij fundamento agitur: Ego verò tunc illis assen-
sero, ubi illud Scripturae sacrae testimonijs confirmarint, et D. Erasto, qui hanc cau-
sam luculenter et copiosè tractauit, responderint. Tyrannidem inde enascituram mi-
nus nos metueremus, nisi huius semina vix dum iacta tam manifestis futuri fru-
ctus indicijs sese proderent. Quis enim dominium in aliorum conscientias eos exercere ne-
get, qui homines bonos et pios, de omnibus fidei articulis orthodoxè sentientes, vitae prae-

terea

terea honestae et inculpatae, ad Coenam Domini accedere prohibent: quod illos in Cry-
naeo, Madero, Erasto fecisse constat. At Syluano illos amicos et familiares fuisse
dicunt. Fateor: sed tunc, cum illius impietas adhuc lateret. Nunc verò ille neminem
praeterea amicum habuit. Non dubito optimos quosque illi fauisse, cum Veritatem do-
ctrinae de Cena Domini fortiter et feliciter defenderet. Fuit tunc D. Bullingero, Vuol-
phio, Simlero meo, mihi nostrisque omnibus amicus. Et quid ni, cum nihil in illo
deprehenderemus homine Christiano indignum. Nunc verò illud nobis quoque fraudi
erit istis iudicibus. neque nos iuuabit, quòd nunc illum cum sua haeresi detestamur:
quod non minus nostri quoque illi fratres faciunt. Liberius fortassis haec dice-
re videor apud tuam Excell.tiam Sed ut haec mihi istud condonet rogo, adeoque meam
hanc libertatem suae facilitati acceptam ferat. Nec enim ista scriberem, nisi de tua
humanitate et beneuolentia mihi omnia amica et tuta pollicerer, certoque per-
suasus essem, Excell.tiam tuam haec ita relaturam, ut nostris illis amicis, quos
indignius tractatos esse hactenus nobis meritò dolet, periculum nullum pariant.
D. Bullingerus mandauit, ut tuae Excell.tiae suis verbis salutem reuerenter et officio-
sissimè adscribam. Viuit ille, sed ita, ut indies ad vitae huius mortalis finem ap-
propinquet, quem ego non procul abesse arbitror: et ipse non aliud cupit, quàm dissol-
ui, et ad Christum, cui annis amplius quinquaginta seruiuit, colligari. Accipiet in
huius viri obitu Ecclesia vulnus maius, quàm putetur. Sed fiat voluntas Do-
mini, in cuius manu sumus, siue viuamus siue moriamur. Huius gratiae
tuam Excell.tiam commendo, quam in illo optimè valere cupio. Tiguri 26 Au-
gusti. Anno nati Christi 1575

Tuae Excellentiae

obseruantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Generosiss.° et Illustri
domino, D. Ludovico
Comiti Vuitgenstaino &c.
Supremo apud Illustriss.
principem Palat. Electo-
rem Aulae magistro,
domino suo cum omni
reverentia honorando.

Pst 3 Sept. A° 75

3 20

S. Discesserat iam ad nundinas cum literis nostris Froschouerus, cum
literae tuae Excell.ae nobis redderentur, quibus quid Ambergae in Palati-
natu superiori acciderat, narras. Jam ante quidem fama ad nos per-
latum erat, periculose illic tumultuatum fuisse: sed nemo erat, qui
rem nobis ex ordine exponeret. Libenter ergo legi D. Tossani, fra-
tris dilecti et honorandi scriptum: quod utinam animis paratis
Ambergenses quoque legerent, et imprimis qui illic rebus praesint.
Sed quid de illis speres, qui abnegato uno Papa Romano, in alterius verba
iurarunt, cuius omnia dicta, ea quoque quae contentionis spiritu
abreptus effudit, pro oraculis habent. Obijciunt nobis Lutherani
seditiones, quarum authores nostri saepe fuerint: quod quam inique
faciant, res ipsa loquitur. Puto igitur non sine numine factum,
ut isti quo spiritu ducantur, testatum fecerint, quando ad-
uersus eum Principem audent hostiliter agere, cuius pietas
et clementia toti orbi ~~tam~~ perspecta est, et qui non supersti-
tiones illicitas, non cultus idololatricos aut aliquid, quo con-
scientia merito offenditur, obtrudit, sed hoc solum petit, ut
causam, qua de agitur prius cognoscere, quam damnare ve-
lint. Hic sane aduersus mendacij et homicidij spiritum decla-
mandi occasionem et materiam amplissimam haberet Jacobus
Andreae, si publicae pacis et Veritatis studium tam ei cordi
esset, quam est ambitiosa sententiam semel conceptam defen-
dendi libido. Mihi certe dum de his cogito, in mentem venit
Heinrichi IIII Imperatoris historia, quem filius ex Pontificum
instinctu captiuum fecit, et Imperiali dignitate spoliauit.
Quod omen ut Deus auertat, ex animo precor. Idem certe
spiritus istos exagitat, qui olim contra optimum Imperatorem pu-
gnauit. Triste nimis spectaculum est, subditos aduersus
tantum principem tam insolenter ^ tumultuari, ubi filius est
^ illic ^ cum imperio, qui vel solo nutu animos placare poterat.
Memini Philippum Melanthonem semper timuisse, Sacramen-
tariam causam tandem bellum funestum excitaturam: qui me-
tus ipsum pusillanimem fecit, ut minus auderet in Veritate
asserenda. Sed non debemus nos eius exemplum imitari. Pru-
dentia quidem opus est et diligenti circumspectione, sed ea, quae
animos nobis addat, non auferat. Est enim Veritatis causa
omnium dignissima, pro qua cum fortunis sanguinem quoque
et vitam profundere parati simus. Quia ergo quid vel
ab Illustriss. Principe vel a vobis in hac re peccatum sit,
non video, non aliud possum dicere, quam fortiter contemnen-
da vobis esse temeraria et seditiosa hominum improborum

iudicia. Vincet tandem Veritas, et si id non fiat nobis viventibus, me-
lius tamen et rectius olim de nobis pia Posteritas iudicabit. Quid si
in fatis sit, ut infelix Germania, quae pro idolis et artolatria tam
pertinaciter pugnat, scopis Turcicis repurgetur, quas olim Deus tunc
primum producere coepit, cum inter Christianos Papa authore de imagini-
bus contenderetur. Nos quid Vulcanus Tubingensis contra nos fa-
bricarit, his nundinis expectamus: quem non dubito, omnes fol-
les inflavisse, ut nova fulmina cuderet. Sed sentiet aliquando, quid
sit Christum è coelesti solio detrahere et à portis damnatam giganto-
machiam instaurare. Haec prioribus literis addere libuit per mer-
catores, qui hodie demum abeunt: ut Excell.a tua intelligeret, literas
suas cum D. Tossani libellis nobis esse redditas. D. Bullingerus quo-
tidie viribus deficit, et vitae horam postremam constanti fide et ar-
denti desiderio expectat, teque Domine generosiss. in Christo salvere
et valere iubet. Tiguri 30 Augusti. Anno 1575.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus

De Ambergensib[us]

Dem wolgebornen Her-
ren, Herr Ludwigen
von Seyn, Graven zu
Witgenstein, Herren zu
Homberg etc. minem gne-
digen Herren.

18 Septemb.

g. 17. Heidelberg.

S. Quòd ad Excell.ae tuae literas postremas tardius respondeo, non nostra, sed
tabellionis nostri culpa factum putabis: vel potius quòd Deo ita visum sit
negotium isti, quod agimus, remoram aliquam iniicere. Discessit ille Hei-
delberga sub nonam Septemb. ad nos verò 22 demum eius mensis, cum
totis ferè diebus 13 in itinere haesisset, corporis viribus et pecunijs ex-
haustus venit. Recepi eum domum meam, et post unum diem nu-
merato ex Ecclesiae nrae aerario duorum florenorum viatico Bernam cum
literis nostris amandavimus. Sed cum vix medium iter perfecisset
rursus ob adversam valetudinem substitit, literas verò Illustriss. Prin-
cipis Electoris per alium Bernam deferri curavit. Nunc cum de eius
ad nos reditu prorsus desperavissemus, neque sciremus quò nam
abijsset, aut num adhuc in vivis esset, ecce hodie ad nos repens
et anhelans revertitur, seque responsum à Bernensib. accepisse ait,
quod ad Principem Illustriss. deferat. Rursus ergo exceptum alijs
florenis duobus donavimus, ne viaticum ad vos abeunti desit.
Mitto autem exemplar scripti nostri, quod in linguam Germanicam
transferri curavimus, et quidem ea dialecto, quam vestris princi-
pibus vulgarem et usitatam esse scimus, ne Helveticae phrases deli-
catioribus fastidium moveant. Id verò mittimus, non ut publi-
cè exhibeatur, aut in multorum manus perveniat, sed quia tua
Excell.a id nuper postulabat, ut vestri suas rationes ad eundem
quasi scopum collimare possint. Quamvis non putemus vos nra
opera sive auxilio opus habere, qui ipsi rectius norunt, qua ratione
aut modo cum Germanis principibus agi oporteat. Quia tamen
hoc tua Excell.a petijt, noluimus illis hoc officium negare. Quoad
verò legationem, nostris nequaquam utile visum fuit, ut ea cum
scripto nro Ratisponam mitteretur, quò solos Electores principes
conventuros esse audieramus, ex quibus praeter vestrum nemo
nobis amicus est: et verebamur, ne si scriptum nrum illis offer-
retur, hoc in malevolorum manus incideret, et alicuius furiosi
Theologi (quales inter Lutheranos multi sunt.) vel et ipsius Smi-
delini dente laceraretur publicè, priusquam in publicis Imperij
Comitijs posset proponi. Itaque res nobis differenda videtur, do-
nec Status et Ordines Imperij omnes coeant. Et proderit meo
iudicio rem istam occultè et paucis conscijs agere. Scis enim
adversarios nros passim suos habere Corycaeos, qui non sermones
modò et acta nrorum hominum observant, sed literas quoque interci-
piunt: quod exemplis aliquot non sine incommodo experti sumus.
Expectabamus rursus Benterichum, qui ad nos Basilea literas
dederat, seque sub initium Octobris adventurum dixerat: sed nullus

venit, et miramur rem tanti momenti satis frigidè agi, neque iisdem consi-
liis insisti. Sed quod alias diximus, in nobis nulla erit mora, et Sena-
tus nostri amplissimi in hac causa promovenda ^voluntas^ egregia est. Hac de publico

isto negotio paucis scribo, quia neque nuntium vestrum, alioqui cunctatorem,
diutius retinere voluimus, neque mihi inter occupationes plurimas plura
scribere licet. Quoad res nostras, Ecclesia nostra vulnus acerbissimum
accepit ex D. Bullingeri obitu, qui 17 Septemb. vitam hanc mortalem
cum beata imortalitate commutavit: ipse quidem felix et beatus, nobis
verò irreparabile sui desiderium et perpetui doloris causas reliquit,
mihi verò privatim onus non grave modò, sed intolerabile. Nam
Cal. Octobris unanimi Ducentorum C. qui summus apud nos magistratus
est consensu eius successor electus sum: quod mihi grave et mo-
lestum accidit, cum propter conditionem, cui obeundae me imparem
esse video, tum propter aetatem, quae iam otium et quietem potius
quam laborum accessionem requirere videtur. Sed quia sic Dno
visum est, fiat eius voluntas. Te verò Vir generosiss. precor,
ut me sub isto pondere gementem precibus tuis iuvare digne-
ris, neque me ea consolatione destituas, quam hactenus ex
tuis literis saepe percepi. Deus Opt. Max. tuam Excell^am^ servet
et studiis tuis benedicat. Amen. Tiguri 14 Octobris
Anno 1575. Si literas Dno Eberardo nostro inscriptas per occasio-
nem ad eum perferri curet Excell^a^ tua, tam illi quam mihi rem faciet gra-
tissimam.

Tuae Excell^ae^

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.


S. Est praeterea, de quo à tua Excell.ᵃ certiores fieri cupimus. Venit ad nos Ju-
nio mense Petrus Beuterichus, et nomine Senatus vestri Ecclesiastici nobis
exposuit, periculum esse, ne Augustus Saxoniae Elector Maximiliani Impera-
toris favore, quem sibi comparavit, ad doctrinae nostrae oppressionem abuta-
tur, et in Comitijs, quae mense Septembri coitura dicebat, in hoc incumbat,
ut illa ab Imperij Ordinibus publico edicto proscribatur. Ideo Illustriss. prin-
cipem vestrum, Electorem Palatinum statuisse scripto gravi (cuius ar-
gumentum atque dispositionem nobis exhibuit.) Imperat. Maiestatem atque Prin-
cipes Imperij compellare et hortari, ne quid huius fiat. Petebat autem, ut
et nos, qui in Helvetiae Ecclesijs ministramus, simili scripto Germa-
niae Principes, qui Augustanam Confess. profitentur, moneremus rogare-
musque, ut ne quid statuant, quod Ecclesiarum distractionem pariat, quarum
pace et concordia cumprimis opus sit etc. Addebat praeterea, venturum
aliquem Heidelberga, qui de hac re prolixius nobiscum ageret: debere igitur
nos de negotio isto cogitare, ne tunc in mora simus. Itaque, ne in causa
tanti momenti officio defuisse videremur, scriptum eiusmodi concepimus,
et re prius cum fratribus Bernensibus communicata, efficimus, ut
non Ecclesiarum modò Helveticarum ministri, verum et magistratus
omnes magno consensu rem hanc agendam seriò censeant. Obtulerunt;
xerunt se praeterea nobis Genevenses et Neocomenses unà cum Rhae-
tis, quos Grisones vocant. At nunc negotio isto quasi confecto, nul-
lus à vobis huc usque advenit, qui vel literas ferat, vel quid porrò futurum
sit, indicet: neque de Beutericho, quid hic agat, aut quo abierit, aliquid
audimus. Quapropter non absque causa miramur, rem tanti momenti
tam subitò evanuisse, simulque metuimus, ne amplissimis civitatum
magistratibus temere negotium fecisse videamur. Bene ergo fecerit
Excell.ᵃ tua, si de tota hac re nos fecerit certiores. Et si Illustriss.
Principis Electoris eadem adhuc mens est atque voluntas, proderit
Senatum nostrum de illa maturè admoneri, quem unà cum Bernen-
sibus et Scaphusianis alijsque multis optimè affectum esse video, et
ad omnia officia paratum, quib. Ecclesiarum paci consuli poterit. Datum
ut in literis.

Tuae Excell.ᵃᵉ

deditiss.ˢ

Rod. Gualtherus.

8 19



Generosiss.o et Illustri Do-
mino, D. Ludovico Comiti
Vuitgenstenio, magno au-
lae apud Illustriss. Princi-
pem Palatinum Electorem
Praefecto, domino suo cum
omni observantia honorando.

Ratisbonae pst. 1a No: 675.

§ 18.

Mittit libellu[m] supplice[m] Germaniae
principib[us] no[m]i[n]e Ecclesiar[um] Helveticar[um]
offerendu[m].
Et de morte Bullingeri

S. Scripsi ante octo dies per vestrum tabellarium, et nostri libelli supplicis ad Principes
Germaniae exemplar misi, quia hoc tua Excell.a petebat: sed nisi vester ille magis
quam hactenus festinarit, fortassis noster hic illum praeueniet. Mittitur hic ab
ampliss.o nro Senatu cum literis ad Illustriss.m principem Electorem, quibus
petunt, vt de Comitijs Ratisponensibus diligentius et apertius scribat, num illa
suum progressum habeant, quae item et qualia sint, et num causa Sacra-
mentaria illic in aliquam disceptationem venturam existimet. Promiserat
D. Bentrichus se Basilea sub initium Octobris ad nos venturum, qui si venisset,
poterat fortassis de istis nos certiores facere: sed nullus venit, nec scimus
qua de causa consilium mutarit. Interea Illustriss. Principis literis admoniti
Bernenses à nostris petierunt, vt communi omn Ecclesiarum et Ciuitatum nomine
mittatur legatus vnus, et nostro Senatui eum ablegandi potestatem facerent.
At nostris hoc videtur minus consultum adhuc, et timent, ne vel ridiculi fia-
mus, dum nulla maiori occasione moti ad Comitia venimus, vel aduersarijs
ansam praebeamus aliquid contra nos statuendi. Etenim si soli Electores conue-
niant, non video quid sperare possimus, quando solo vestro excepto, omnes
causae nrae sunt infensissimi. Haec et alia multa nros mouent, ut non putet
tempore adhuc esse progrediendum. Venio nunc ad alteras Excell.ae tuae
literas, quas Septembri mense dedisti de Erasto et eius causa vel actione,
quae ipsi cum Piganetta intercessit, de lite item, quae inter ipsum et vestros
Theologos siue Seniores adhuc pendet. Moreo autem, vt ipsi pacis author
sim. In eo autem D. Bullingerum et me semper fuisse, vere testari possum
et nunc quoque hoc ipsum agere non desinam. Sed vix video quae concordiae
ineundae ratio alia esse possit, quam vt scriptis vtrinque agatur, et haec arbi-
tris prudentia et rerum vsu instructis nulloque praeiudicio occupatis (inter
quos vtinam Illustriss. Princeps ipse per occupationes posset primum locum
tenere) examinanda proponantur. Hoc Erastum postulare audio. At
tua Excell.a per Colloquium et amicam Collationem hoc perfici posse sperat.
Sed condonabit illa mihi, si in eo dissentiam, et si existimem homi-
nes istos tibi nondum recte notos esse. Scimus nos, quae iam sperimenda
debeant, et quam parum tribuendum sit ipsorum verbis. Sponte emanere di-
cunt à Coena Domini (et hoc Optimo Principi et fortassis tuae et Ex-
cell.ae iam persuaserunt) quos illi nondum quidem excommunicatos solenniter
sed tamen pro indignis iudicatos emanere iubent, hac addita ratione, quod
ipsi eos salua sua conscientia admittere non possint. Num ergo sponte ab-
stinet, qui ne cum publica ignominia reijciatur, non accedit? Certe nisi pa-
rerent, quib. hoc nunciatur, mox omnis ordinis Ecclesiastici contemptores
dicerentur. Absolutus est Erastus in ea actione, quam cum Piganetta
habuit: sed illum accusasse, calumniator ille impune tulit. At non im-
pune tulisset Erastus, si vel vnius aut alterius criminis fuisset
conuictus. Sed ita agendum erat, ut facilior esset ad solidam concor-
diam via. Probo eorum consilia, qui pacem et concordiam quaerunt. At
hanc non puto syncaeram fore, quoad alteri parti liceat suspicionibus
indulgere, crimina vndique corradere, et postea impune et in indi-
cium trahere et accusare innocentes. Ex fide dignis certe audimus, q

nuper isthinc venerunt. Erasti adversarios ne nunc quidem quiescere, quo mi;
nus nova crimina cudant, et sunt, qui illos hoc agere putent, ut ex infoelicis
Neuseri, quem Constantinopoli agere dicunt, ore aliquid eliciant, quod in opti;
mi viri caput torqueri possit. Tantae ne animis coelestibus irae? Itane odijs
et simulationibus indulgere decet viros Theologos, qui se totos Deo et coelo dedi;
tos esse, credi volunt? Et miror, si nemo alius praeter unum Erastum Neu;
sero et Syluano amicus fuit? Cur igitur soli Erasto haec amicitia fran;
di est? Non puto illos, si verum dicere velint, aliud posse excipere, quam
quod ipsorum de Excommunicatione introducenda instituto sese opposuit, et ad;
huc opponit. Nunc si subscriberet, iam vir bonus, pius, doctus, mode;
stus, integer scelerisque purus, Ecclesiae denique decus et columna dice;
retur. Atqui controversia illa adhuc pendet. Sententiam suam scripto
ille comprehendit: et vicissim scripto per illos responderi postulat.
Cur non ergo faciunt illi, quod aequitas iubet, quod pietas suadet,
ipsa denique necessitas requirit? Liberius ista rursus fortassis
scribo quam decebat: sed ne ~~ea in~~ ijs tua Excell.a offendatur, humiliter
precor. Multa sunt quae me movent, et quanti faciam Illustrissim[um]
Principem, quamquam mihi doleat, quoties eum propter paucos, qui
illic fere omnia agunt, reprehendi aut minoris fieri audio, novit
Dominus. Utinam ego aliquo magno meo incommodo possem huic
malo remedium afferre. Sed video hoc esse Ecclesiae fatum, ut vix unquam
intestinis rixis careat. Et dolendum est, nos iam de disciplina liti;
gare, cuius (ut tu verissime scribis) vix micam habemus. At video
periculum esse, ne dum illam ex eorum consilio volumus constituere, qui
soli eminere volunt, loco salis evangelici fel introducamus, quo tota Ecclesiae
facies corrumpatur. Deum Opt. Max. precor, ut is medicam manum vul;
neribus istis adhibeat: et in eodem tuam Excell.am cum generosissima
uxore valere opto. Tiguri 22 Octob. Anno 1575.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

G. Respondet ad epistolam
meam de Erasti controversia.

Generosiss.o et Illustri Do-
mino, D. Ludovico Comiti
Vuitgenstenio, magno
aulae Palatinae apud Illu-
striss. Principem Electo-
rem Praefecto, domino
suo cum omni observan-
tia honorando.

g. 16.

Psl. 30. 8bris. Heidelberg.

S. Quòd Excell. tua Ludovice Comes generosiss. mihi tam amicè et piè gratulatur,
quem Deus praestantissimi viri, D. Bullingeri, successorem esse voluit, mihi perq;
iucundum gratumque accidit. Ut enim meae tenuitatis mihi probè conscius
sub tanti muneris pondere iampridem succubuissem, nisi qui me ad illud vo-
cavit, vires dedisset: ita plurimum me confirmant piorum vota atque preces
quas in causa tam iusta et sancta Deus negligere non poterit: ideoque ex toto
corde tuam Excell. rogo, ut quod pridem fecit, porrò facere pergat, ut me meumque
ministerium suis precibus iuvet atque suffulciat. Libellus noster supplex
hactenus intercidisse, aut tota illa actio in spongiam abijsse videri poterat,
cum nemo quicquam de ea iam tribus ferè mensibus ad nos scripserit. Nam
quando D. Beuterichus sub initium Novembris apud nos fuit, dicebat se ha-
bere de quo mecum conferret, et ex D. Bezae literis, quas idem mihi reddidit,
intelligebam Illustriss. Principem petere, ut nescio quae clausula nostro scri-
pto adijciatur. Sed cum D. Beuterichum toto die domi meae expectarem, nul-
lus venit, et ita ex urbe abijt, ut hominem non amplius viderim. Interea
Bernam scribebatur, eum illic cum Senatu de clausula illa egisse, sed ne illinc
quidem adhuc rescire potuimus, quae illa sit, aut quid contineat. Quòd si
Beuterichum Senatus nostri responsum, quod ad Illustriss. Principis postu-
lationem ei datum fuit, adeò offendit, ut nihil porrò nobiscum putarit
esse agendum, nae hoc (quod pace eius dixerim) imprudenter fecit, et
de Illustriss. Principis Electoris prudentia mihi planè polliceor, eum hoc
quicquid est, moderatius accepisse. Nam mihi crede Ludovice Comes
generosiss. non poterat incommodiori tempore Beuterichus à nostris pecu-
nias et auxilia petere: cum ~~[illegible]~~ à multis in singulas propè horas admo-
neremur de vicinorum nostrorum insidijs et machinationibus: adeò ut in agri
Tigurini finibus iam excubiae disponerentur, et bellum nobis iam imminere
videretur. Num verò qui nostros monebant, id bona fide aut dolo fece-
rint, nunc dicere nolo. Vicinos certè nostros Papistas hac ita moverunt,
ut magnifica legatione missa apud Ducentos (qui summus apud nos magi-
stratus est) sese excusarint, et amica omnia sint polliciti. ~~sint~~ Verum-
tamen eam qui vidit esse rerum conditionem Senatus noster, ut minimè con-
sultum videri posset, urbem et rempub. nostram vel pecunijs vel praesidijs
qualibuscunque denudare. Quòd si quis obijciat, potuisse idem à Bernensibus prae-
texi, qui tamen pecunia et milite causam communem iuvare non sint dedi-
gnati: Ego simpliciter et verè respondeo, multum differre nostrae Reipub.
statum à Bernensi, et ut his rationes fuerunt certae, ut quod fecerunt
sibi faciendum putarint: ita nostros quoque rationes multae et graves
movent, ut à bellis, quoad eius fieri potest, abstineant, in omnem
autem eventum domi parati et instructi sint. Et scit Excell. tua vici-
narum quoque civitatum non eandem semper esse conditionem. Non puto tamen
hic pluribus verbis opus esse: Ista autem ideo nunc scribo, ut Senatum
nostrum ampliss. excusem, à quo Illustriss. Principem Electorem maximi
fieri et amari, sanctè affirmare possum. Ut igitur eò, unde digressus
sum, redeam, hoc solum nos hactenus mirati sumus, quòd tam alto

tamque diuturno silentio quasi sepulta iaceret actio illa, quae prius tanto utrinque stu-
dio agebatur. Nam etsi nihil in mora esset periculi, tamen scire cupiebamus, quid
Illustriss. Princeps Elector in nostro scripto adijci aut mutari vellet. Quia vero
illum ad ampliss. Senatum nostrum literas dedisse audio, actionem illam in-
stauratum iri puto, et fortassis nobis quoque eam Senatus communicabit. Quod
si fiat, curabimus pro virili, ne officio defuisse videamur. Quoad D. Erasti
causam, statui cum nemine porro contendere, ne quod inter nos et Ecclesias nostras
dissidium hoc tempore oriatur, quando ut idem sentiamus et loquamur, plus quam
necessarium est. Voluissem illum cum D. Beza de tota hac causa contulisse,
et mihi minime placet, quod hunc ^cum nuper apud vos esset,^ non admiserit: quamvis fortassis sui fa-
cti rationes habeat, quas ego ignoro. De causa, quae te praesente acta est, nolo
quicquam dicere. De tua enim Ludovice Comes aequitate et prudentia tantum
mihi polliceor, ut mihi non grave foret me et fortunas meas omnes tuo
iudicio subijcere. Absit autem ut me ab illis alienari patiar, quos ut fratres
in Christo hactenus amavi, neque unquam tanti feci iniurias, quae mihi
ab uno et altero illic factae sunt, ut propterea alios vel odio vel contemptu di-
gnos iudicarim. D. Ursinum, qui nobiscum diu egit, colo et veneror, et ipsum
de nobis quoque bene sentire non dubito. D. Tossanum, ex quo eum vidi, magni
facere coepi, et adhuc ut fratrem charissimum amplector. Tuam autem
Excell. vicissim per communem Christum rogo, ne propter exortas apud vos
dissensiones D. Erastum ab adversarijs opprimi sinat. Nam ut in modo a-
gendi fortassis peccarit, et aequo ferventior videri possit, attamen non omnino
contemnendas iniurias passus est, quas ingenijs generosioribus et meliora
meritis fere intolerabiles videri constat. Deus pacis et miserationum pater
contentiones istas tandem sopire, et scandala ex his orta removere dignetur,
idemque te cum uxore generosiss. benigne servet et protegat. Num Ebrar-
do nostro transmissae sint, quas Octobri mense tuis literis commiseram
scire velim. Tiguri 8 Februarij. Anno nati Christi 1576.

Tuae Excell.ae

observantiss.us

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino,
D. Ludovico à Sayn, Comiti
in Vuitgenstein et domino
suo honorando.

pße 19 feb:

g. 23 Heidelberg.

S. Quas Excell.^a tua Calend. Decembris ad me dedit literas, ego trigesima Janua-
rij demum accepi per uxoris meae fratrem, Thomam Blarerum, qui cum ex
Illustriss. principis Joan. Alberti Megalopolitani aula per Heidelbergam ad
nos veniret, eas mihi attulit. Causam huius morae fuisse ex parte arbitror,
quòd ille dum ex itinere modò ad hos modò ad illos cognatos atque affines
divertit, tardius ad nos appulit. Sed nihil in hac cunctatione est periculi,
cum nihil continerent, quod celerem cursum requireret. Nam quoad
causam hanc communem legationis ad Comitia Imperij mittendae, multum
diuque illa inter nos et Bernenses agitata est, et adhuc agitatur. Sunt
enim indicta Civitatum Helvetiae, quae Euangelij doctrinam profitentur
comitia ad 28 huius mensis, in quibus de re tota et multis alijs delibera-
bitur. Remoram non parvam nobis iniecerunt Basilienses, apud quos
annosa vulpecula, Doct. Sulcerus, Lutheri dogmata mirificis artibus
tuetur, et multos fascinat. Et quamvis mihi minimè probaretur eorum
consilium, qui hanc causam cum Basiliensibus communicandam putabant,
vicit tamen eorum sententia, qui urbem tanti nominis non absque aliqua
contumeliae nota dicebant negligi posse. At his supervacaneum visum fuit
legationem ad Comitia Imperij mittere: ita nimirum hoc ipsis dictante Sul-
cero, qui nihil perinde cuperet, quàm nos damnari, et procul dubio per
Jacobum Andreae, cui familiariss. est, hoc agit. Obstat praeterea ple-
risque nostrum, quod hanc rem novi exempli esse arbitrantur, eò quòd
Helvetiorum legati ad Comitia Imperialia non soleant mitti, nisi quando
cum Imperatore novo de feudorum et privilegiorum confirmatione agendu(m) est.
Ego quantum mea vocatio permisit, nostros monui et hortatus sum,
ne communi causae desint, et in posterum rem hanc pro virili urgebo non
apud nostros modò, verumetiam alios, quibuscum mihi amicitia et
familiaritas intercedit. Videtur nonnullis sufficere, si ^ civitatum Hel-
^communi^
veticarum nomine ad Principes et Status Imperij, qui Augustanae Confessio-
nis sunt sectatores, literae dentur, quas unà cum nostro supplici libello
Illustriss.s princeps Elector Palatinus illis offerat, si opus sit: apud
se autem servet, si nemo hanc Camarinam in comitijs moveat. Sed
de tota hac re in conventu illo agetur, quem iam indictum esse, supra
scripsi. Venio nunc ad alterum tuae epistolae caput, quod de
D. Erasto est: ubi mihi credas oro Ludovice Comes generosiss.
me et D. Bullingerum p.m. semper ei suasisse, ut quoad salva veri-
tate fieri possit, paci et concordiae studeat, neque hoc ei suadere desi-
nam: ^ Urit tamen generosum animum contumelia, qua melius de tota
^ et nunc quoque ad eu(m) de hac re diligenter et prolixè scripsi. ^
illa Ecclesia et Schola meritum quidam importuniores aequo notare
conati sunt: et quòd nunc nonnullis indignus videtur, qui Theologica
tractet, cum superioribus annis solus ferè illic adversariorum impe-
tus sustinuerit. Nec video quàm procul abfuturi simus à nova tyranni-
de, si hoc axioma locum obtineat, solos Theologos divina tractare,
alios verò omnes ipsorum decretis simpliciter subscribere debere. Et puto

nobis diligenter esse vigilandum, ne diiudicandi spiritus libertatem, quam
D. Paulus penes sedentes esse vult, nobis circumscribi patiamur. Liceat
enim mihi de mei ordinis hominibus loqui, esse nimirum ferè Theologiae do-
ctores morosum hominum genus, et saepe rudes aliarum rerum, ideoque
opus habere, ut et authoritate et fraeno aliorum piorum ~~ce~~ contineantur: et
quàm hoc prosit, saepe experimur. Itaque de postrema illa cum Erasto
actione ego honorificè sentio, quòd huic Illustriss. principem suam
authoritatem interposuisse audio: ut nuper quoque scripsi. Haec autem
nunc addere libuit, ut videat Excell.ª tua, me à vobis minimè alienum
esse: imò emori potius velim, quàm dissidij author esse in Ecclesijs, quarum
consensionem hodie plus quàm necessariam esse, vel caecus videat. At quia
de tua aequitate et prudentia mihi nihil non pollicear, non puto nunc plu-
ribus opus esse. Dominus Jesus Ecclesiae suae vulnera passim sanet, et
regnum suum in hac mundi senecta itidem instauret. Idem tuam Excel-
lentiam servet et spiritu suo regat ad sui nominis gloriam. Tiguri
22 Martij. Anno nati Christi 1576.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus

Heidelb

Illustri et generoso Domi-
no, D. Ludovico Comiti
in Vuitgenstein, Magno
aulae praefecto apud Illu-
strissimum principem Electo-
rem Palat. domino suo
plurimum honorando.

9. Aprilis

8.25.


Verg.

S. Iam redditas esse puto Excell.ae tuae meas literas, quas 22 Martij dedi, nec
est quod se illa excuset, quod rarius scribat. Scio enim Ludovice Comes
generosiss. occupationibus plurimis vos distineri, qui hoc nro afflictissi-
mo tempore in magnorum principum negotijs versantur. Mihi autem
cognitu iucundissimum fuit, quod Illustriss. principem Electorem
Palatinum erga nram Rempub. tam bene affectum esse audio: et
de nostris polliceri possum, non deesse illis eius Clementiae grati-
ficandi voluntatem, etsi non semper possint quod velint. Nec
minus iucundum fuit quod de D. Erasto scribis, et spero concordiae
viam stratam esse. Nam de illo nuper ad me quoque scripsit
D. Tossanus; ego verò postremis literis Erastum studiosè
hortatus sum, ne se difficilem praebeat, sed omnem concordiae
sarciendae occasionem arripiat, eaque utatur. Interea intellexi
nuper, illum hoc unum cupere, ut sciat se non reiectum iri
si ad mensam Domini velit accedere. Quòd si igitur hoc peri-
culo liberetur, puto illum facturum quod hominem Christia-
num decet: et ut id faciat, eum hortari non desinam. Nam
revera hoc seculum nostrum unanimem coniunctionem
eorum requirit, quorum aliqua est apud alios existimatio. Bre-
vius haec attingo, quia vestrum tabellarium abiturientem
nolo diutius remorari. Interea res Gallicae nos vehemen-
ter solicitos habent. De Ioan. Casimiri Illustriss. principis
fortitudine et industria non dubito. Sed suspecta mihi est
Gallorum fides, et metuo, ne quando politici cum rege pa-
ce facta Germanos deserant, vel etiam in illos coniurent
quod annis superioribus factum fuit Anglis, cum illos
milite et pecunia iuvissent. Et iam nunc sparguntur ru-
mores ex Gallia oriundi, per solum Casimirum stare, quò
minus pax fiat. Deus Opt. Max. nobis principem fortissim.
servet, et idem tuae Excell.ae benedicat. Tiguri 4 Apri-
lis. Anno 1576.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.



Heidrei

Illustri et generosiss. Domino,
D. Ludouico Comiti in Vuit-
genstein, Magno aulæ Pa-
latinæ præfecto, domino
suo cum omni reverentia
honorando.

psta 14 Aplis

Berg.

5 24

S. Illustrissimi Principis Electoris consilium de legatione ad Comitia Imperij mittenda mihi semper probatum fuit, et adhuc probatur. Nam certe ~~nobis~~ cum hoste irrequieto et crudeli (sicuti tua Excell.a scribit) nobis res est: quo magis nos animi decebat, ut illius machinationibus consilia sana et fortia opponeremus. Sed nescio quo fato fiat, ut in tanta sententiarum diversitate non potuerit inter eos quoque convenire, quos causae communi ex animo favere, non est dubium. Et ita fortassis Deo visum est, qui eam rationem in hac controversia dirimenda instituit, ex qua constet, omnem hanc gloriam sibi soli deberi. Et sane videtur iam nunc nos propitius respicere, quando Illustriss. Principis Casimiri expeditio, quae nos vehementer sollicitos habebat, eum successum habuit, quem pij omnes optarunt. Accedit ex eo plurimum non tam eius quam Christianissimi Principis Electoris nostri existimationi, nec dubium mihi videtur, quin minus animi posthac habituri sint, qui hactenus tam ipsi quam Ecclesijs nostris hostilia omnia minabantur. Solent enim prophani homines a rerum huius saeculi eventu pendere, et digni sunt, qui sibi ab hominibus timeant, quando Deum revereri nolunt. Et si verum est, quod de Vainoda Transylvano iam Cracoviae coronato Norinberga scribitur, Imperator ab eius regni spe excidit, et minus occasionis habebit Saxo de illo bene merendi: aut si omnino instituerint praedam istam pertinacius sectari, circa hanc occupati vix poterunt adversus nos aliquid statuere: et utinam non communi Germaniae ingratae fato urgeantur, malumque nobis publicum accersant. Controversiam quae D. Erasto cum nonnullis apud vos intercessit, tandem compositam esse gaudeo: neque puto illum aliquid porro tentaturum, quod publicam dissensionem pariat: modo alter ille, quem nondum flecti posse, nuper ex D. Bezae literis intellexi, non sua morositate vobis incommodet. Pollicetur Beza se non destiturum illum oppugnare, donec expugnet. Ego vero si scirem meas literas apud illum aliquod pondus habere, officio deesse nollem. Sed cum non ignorem, eum iampridem a nobis alienum esse factum, consultius esse puto ab eo homine abstinere, ne igni oleum addamus. De D. Tossano et Ursino nobis omnia amica pollicemur. Quod restat, Deum precor, ut hic omnium mentes suo spiritu regat, ut pacis et consensionis consilia suis opinionibus anteponant. Joannem Crollium Hessum, quem tua Excell.a mihi commendavit, cum nullus ei hospes commodior offerretur, domum meam recepi, ut hac aestate mecum habitet, interea cum domus mea hypocaustum aliud, praeter commune et meum Musaeum, nullum habeat, in hiemem futuram ei pro virili prospiciemus. Iuvenem video esse doctum, pium, modestum, ut me non tam eius, cui Dominus non deerit, quam infelicium illorum misereat, qui tales ferre non possunt: digni qui Cyclopes suarum ecclesiarum et scholarum moderatores habeant. Mittimus in vestram Academiam duos iuvenes, nostrae Ecclesiae alumnos bonae indolis et spei: quorum alter nostri Consulis D. Camblij, qui nuper in Gallijs apud Regem pro pace legatus fuit, cognatus est. Eos ut tua Excell.a sibi commendatos habeat, rogo. Quod ad res nostras, satis pacatae sunt: fremunt tamen vicini Papistae ob pacem in Gallijs factam.

Sabaudus Dux nescio qua causa adductus foedus Helvetiorum ambit, et eius gratia suis impensis Cantonum Comitia, quae iam convenere, haberi postulavit. Sunt qui illum sibi à Gallis et Hispanis metuere putent: ne videlicet compositis rebus Gallicis, bellum Mediolanense inter Gallos et Hispanos instauretur, quod absque illius maximo incomodo fieri non potest, quando per eius terras Gallis in agrum Mediolanensem est transitus. Videtur ergo Dux hoc quaerere, ut Helvetios, quorum peditatu Galli utuntur, sibi devinciat, et eadem opera suis terris consulat, ne bellis futuris implicentur. Sunt filij huius saeculi prudentes et astuti in sua generatione. Quid futurum sit, nescio. De nostris sponderc ausim, non facturos cum illo foedus, quo ad opem illi ferendam obligentur. Bernenses verò non dubito Genevensium rationem habituros esse, quorum res hic potissimum agitur. Deus Opt. Max. tuam Excell.tiam servet cum generosa coniuge, et utrique benedicat. Amen. Tiguri 5 Junij Anno 1576.

Tuae Excell.tiae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus, P.

Generosissimo et Illustri
Domino, D. Ludouico à Se:
hen, Comiti in Vuitgen:
stein etc: magno aulæ Pa:
latinæ Præfecto, domino
suo cum omni obseruan:
tia honorando.

pse 17 Iulij

B 27.

Verg.

S. Etsi non sit ferè quicquam apud nos scriptu dignum, scribo tamen, ne officio defuisse
videar. Quid in Comitijs Imperij actum sit hucusque, aut nunc quid actum sit,
ex nemine intelleximus. Solicitos autem nos habuit Principum conuentus, quē
Dresdæ habitum fuisse fertur, et cui Bavariæ etiam Dux se coniunxerit: quod
ego non potui satis mirari. Sed possunt illi qui nobis in Cœnæ negotio ad-
versantur facile cum omnibus transigere, qui nos oderunt, quos illi quo-
uis exilio dignos iudicant. Apud nos nihil nunc agitur memoratu di-
gnum, quàm quòd Sabaudiæ Dux mirifico et profundo astu fœdus
ambit, et videri vult, quasi Cantonum omnium societatem quærat,
cum interim non obscurè eo tendat, se occasionem quærere, qua exclu-
^ solis ^ sis Evangelicis cum Papistis ^ communicatur. Nam Genevam à fœdere
illo exclusam vult: quod neque nostros neque Bernenses vnquam ad-
missuros certò novit. Sed plausibilior fuerit Papistarum causa, si non ipsi
nostros excludant, sed hi sponte secessionem faciant. Quanquam de
nostris ego affirmare possum, eos quascunque ille conditiones offerret,
nunquam tamen in fœdus aliquod descensuros esse. Sed monstrum
aliquod magnum hoc prætextu ali frequentes et crebri conuentus,
quos clam agunt, abunde docent. Et videntur Galli nescio quid odo-
rari. Nam Regis Oratores, qui in Helvetia agunt, se magno conatu
Sabaudi postulationibus opponunt: fortassis quòd hoc prætextu intelli-
gant istis parum suam causam agere, vt Gallos præditatu Helvetico
spoliet, et hac ratione Mediolanum ab illorum incursionibus tutius
reddat. Cæterùm metuo non hoc impetraturos Gallos quod vo-
lunt, cùm promissis destituantur, quibus solis hoc genus dæmoniorum
demulceri et ad obsequium præstandum cicurari potest. Quid in
Gallijs agatur, vos melius quam nos scire potestis. Bernenses conversi
ex castris lites secum domum attulerunt, quibus suos Capitaneos fati-
gant milites gregarij. Papistas adhuc illic moram nectere audio,
et sunt qui hoc etiam consultò et insidiosè fieri arbitrentur. Mihi
Regis consilia omnia suspecta sunt propter matrem et eos, qui illic
adhuc suum gradum retinent. Ministrorum Synodum generalem
23 Septemb. indictam esse, nuper D. Beza scribebat. Faxit Deus ne
nimium festinando sibijpsis periculum accersant. Nos interea dum
pro illis soliciti sumus, iacturam irreparabilem fecimus in mei generi
D. Simleri obitu, quem 2 Julij nobis Deus eripuit non absque publico
bonorum omnium luctu, meo autem cum dolore acerbissimo, qui et ge-
nerum amisi charissimum, et filiam florente adhuc ætate marito
fidissimo, filios autem tenellos patre optimo orbatos esse video. Sed
priuato meo dolori remedium inueniri poterat, si quæ ratio esset,
qua publicam iacturam sarciremus. Sed ita mundi infelicis in-
gratitudinem Deus vlciscitur: et dum nostras calamitates lugemus,

non possumus non beatos dicere eos, quos Deus misericors omnibus periculis
et certaminibus liberatos ad se transtulit, ut coelestis regni bonis in
pace vera et aeterna fruantur. Joannem Crollium Hessum, quem tua Ex-
cell.ª mihi nundinis vernalibus commendarat, me domum meam recepisse, ex
literis, quas mense Junio dedi, potuisti intelligere. Is adhuc mecum vivit,
ea morum modestia ornatus, pietate item et doctrina tali insignis, ut eum
non possim non amare. Hessiae autem me miseret, quae eiusmodi ingenia
non ferre potest, et pluris facit nescio quos Stentores, qui si in Sacramenta-
rios declamare prohibeantur, fortassis non habebunt quod dicant. Itaque tuae
Excell.ae illum virissim commendo. Nam omnino dignus est, qui Maecenatem
aliquem habeat non illiberalem, et usus eius aliquando haud dubie ma-
gnus in Ecclesia esse poterit. Excusae sunt ad has nundinas meae in Pau-
li ad Galatas epistolam homiliae, quarum exemplum aut his literis coniun-
gam, aut Froschouero, ut ad tuam Excell.am transmittat, in mandatis
dabo. Faxit Deus, ut hic meus labor Ecclesiae utilis sit, et idem
tuam Excell. suo Spiritu regat atque servet ad sui nominis gloriam
et suae Ecclesiae aedificationem. Amen. Tiguri 23 Augusti. An-
no nati Christi 1576.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

orinalis
is in
n Ex;
hr, ex
inih,
orum
gonia
menta;
tuas
ornato
ma;
m. Pau;
onium;
ndalis
idem
loria
i. An;

althgrus.

Heidelb

Illustri et generosissimo
Domino, D. Ludouico à
Sehen, Comiti in Vuit-
genstein &c: et Magno
Aulæ Palatinæ Præfe-
cto, domino suo cum
omni reuerentia obser-
uando.

23 Sept.

59.

. 528.

S. Reddidit mihi Excell.tiae tuae literas Joannes Philippus baro Altosaxius, quarum lectio mihi acer-
bissima fuit. Dolorem enim, quem ex sanctissimi principis Electoris obitu conceperam, non
modo innouarunt, sed magis exacerbarunt et auxerunt, cum ea iam fieri nuntiarent, quae
euentura esse animus mihi saepe praesagiuit. Et mirarer ego, tanti principis successorem, pie-
tatis, quam filij parentibus debent, tam immemorem fuisse, ut in ipso limine (quod aiunt)
odium eius religionis declarare non sit veritus, in qua patrem obdormiuisse sciebat, nisi
scirem hoc Lutheranis spiritus proprium esse, quod cum charitate στοργὰς quoque extin-
guit, et laudem sibi ex eo pollicetur, si cum laruis luctetur, et defunctorum manes
conuitijs lacessat. Sed non sunt longaeui in terra, qui parentes non honorant: nec dubito
fore breui, ut de Germania ingrata et contumaci Deus poenas iustas exigat. Immo iam
nunc poenas dat graues, quando se miseram esse non sentit, et quamuis undique infe-
stetur, tamen quasi omnia sibi salua sint, in propria viscera saeuit, et Deum ipsum
suam gratiam offerentem reijcit. Quid ergo aliud speremus, quam ut extinctis et pie-
tis omnibus, quos serius pietatis sensus tangit, et qui doctrina excellunt, fata-
lis barbaries sequatur, quae cum scholis Ecclesias et Rempub. omnem euertat. Ore-
mus ergo Deum patrem miserationum, ut saltem reliquias nobis seruet, ex quibus
Ecclesia aliquando apud posteros instauretur. Caeterum ~~ego~~ interea dum ego
publicam calamitatem deploro ex tuis literis occasione sumpta, priuato vulnere
luctum meum augere Deo visum est. Nam cum eas 20 Decembris accepissem,
crastina die filius meus, quem unicum habui, paucis horis à Baronis nostri
quo cum ientatus erat, discessu in morbum incidit, qui initio pleuritis videbatur,
sed mox varijs viribus mutatus eum totis hebdomadibus septem exercuit, quo tan-
dem superatus nona Februarij animam Deo Creatori cum praeclara fidei Confessione
et diuini numinis inuocatione reddidit. Mihi vero etsi multas ob causas eius
obitus acerbus acciderit, magis tamen me mouebat, quod luctum meum mihi
cum tota ciuitate nostra communem esse videbam, quae eius morte grauiter perculsa
videbatur, et suum dolorem non obscure testata est. Et sane, nisi ex me ille na-
tus fuisset, dicerem Ecclesiam nostram in eius obitu iacturam non leuem fe-
cisse. Nam praeter bonas literas, in quibus multum profecerat, illum singulari
dicendi facultate donarat Deus, ut eius conciones omnibus gratae et acceptae
essent, et plerique sibi de illo magnum quid pollicerentur. Sed voluit hunc nobis
ostendere Deus, cui gratias ago immortales, qui dedit, ut in eius ministerio talem
viderim, qualem semper optaui videre: Nouit idem, cur eius seruitio noluerit diu-
tius uti. Sit illius nomen benedictum. Ea certe nunc tempora sunt, ut si unquam
alias, hodie dici possit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur etc. Furit enim
ubique gentium Antichristus, et huius conatum iuuant, qui eum nobiscum coniun-
ctis viribus debebant oppugnare. Quid in Gallijs fiat, non puto tuam Excell.tiam
ignorare. Scribit D. Beza ludum iocumque fuisse ea, quae prioribus bellis acciderint
prae ijs, quae nunc parantur: et periculum est, ne ad nos quoque calamitas i-
sta aliquando redundet. Nam papistae nostri, qui non postrema bellorum in Gallia
ciuilium faces fuerunt, missis ad Regem legatis stipendiorum solutionem impor-
tune nimis flagitant, et minantur apertam à foedere Gallico secessionem, nisi ipsis
per omnia satisfiat. Id vero Regi impossibile est, cum debitorum summa ad decies
centena millia coronatorum ascendat. Interea Hispanus per legatos suos pollicetur

se pecuniam hanc omnem ipsis adnumerare velle, si rescisso foedere Gallico, cum ipso
foedus faciant. Obstant huius postulationi qui meliores sunt, et quos aliquis ad-
huc pietatis sensus, vel potius honestatis publicae cura tangit, neque suam existima-
tionem omnino prostituerunt. Sed multorum animi e contra iam in Hispanum
inclinati sunt: Qui si alteros illos suffragiorum numero vincant, non mirum est,
quin horribiles Tragoediae exoriantur, quarum Epitasis sese longius extendat quam
multi existiment. Prospiciunt haec nostri, et quantum possunt, malum hoc averte-
re student. Quid vero facias cum iis, quos auri sacra fames et implacabile Euan-
gelicae Veritatis odium excaecavit, ut quae prae oculis sunt pericula videre non pos-
sint. Et fortassis in fatis est, ut cum Valesia domo tot periurijs et parricidijs
infami Galliae regnum corruat, quod iam annis fere 300 toti orbi Christiano
bellorum facem praetulit: ex quo nimirum Clementis IIII et Gallorum perfidia Conradi-
nus ultimus Ducum Sueviae cum Friderico similiter ultimo ex veterum Austriaco-
rum ducum familia crudeliter occisus est. Sed longius me progredi video, dum privato
et publico dolori habenas laxo. Ignoscet ergo verbositati meae tua Excell.a Ego dum
male feriati quidam Theologi litem Sacramentariam instaurant, et principum animos
adversus homines innocentes exacuunt, scripsi homilias in tentationum Christi historiam:
quia mei officij magis esse puto, ut Christianos homines cum communi hoste diabolo
pugnare, quam inter se digladiari doceam. Illarum exemplum Excell.ae tuae dabit
Froschouerus, cum illud literis istis non possim coniungere. Deus Opt. Max. Satanam
hoc novissimo saeculo omnes vires suas exercentem sui spiritus virtute coerceat, et
te Ludovice Comes generosiss. cum tota familia incolumem servet ad sui nominis
gloriam. Tiguri 11 Martij. Anno 1577

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus

Illustri et generoso Domi-
no, D. Ludouico a Seyn,
Comiti Vuitgensteinio,
domino suo cum omni
reverentia honorando.

20 Mar: 577
Heidelberga

S. 29.

S.

Quòd ad Excellentiae tuae literas Generosissime Domine et mihi cum omni reue-
rentia honorande, 3 Cal. Martij datas, hucusque non responderim, non alia de cau-
sa praetermissum putabis, quàm quòd non sinit nos in scribendo tam officiosos
esse, quàm vellemus, nostri saeculi calamitas, qua fit, vt insidiarum plena sint
omnia, et ab ijs ferè periculum immineat, qui nos vt fratres in Christo complecti
debebant. Eò enim res deuenit, vt classicum canant, ~~qui primi~~ quorum erat, prin-
cipibus pacis consilia suggerere, et Ecclesias destruant, qui architectos se esse pro-
fitentur. Fit hoc iam aperte apud Saxones, et qui illic grassantur, alibi quoque
per suos emissarios frigidam suffundunt, vt priuatim pijs et doctis viris ne-
gotium faciant, publicè autem Ecclias et scholas bene constitutas turbent.
Mirarer ego haec fieri, nisi scirem Germanos ~~h~~ ista et his grauiora iam-
pridem meruisse, quando iam multis annis Euangelij libertate ad carnis
licentiam abusi sunt, et bene meritos de Ecclesia viros inaudita ferè con-
uitiandi rabie prosciderunt, adeoque domi forisque scandala dederunt, quibus
Euangelij cursus impeditus est. Fit ergo iusto Dei iudicio, vt illic loci Anda-
batarum instar inter se pugnent, qui ad ista Christi ministris indignissi-
ma facinora operam suam contulerunt. Magis verò dolendum est, quòd
in ijs locis cum superstitionibus barbaries reducitur, in quibus purior do-
ctrina sonabat, et Christi ciuibus alibi eiectis asylum patebat sub Illu-
striss. et verè Christiano principe Friderico Electore Palatino. Nunquam
certè credidissem tantam vecordiam aut impudentiam potuisse alicui in men-
tem venire, vt tanti principis memoriam adhuc recentem violare aude-
ret. Immortali laude dignus est princeps Casimirus, qui parentis optimi
Confessionem typis vulgauit, vt ab omnibus cognosci possit, quae huius fides et
pietas fuerit. Nam minimè dubito, multos esse vbique locorum, qui ex illius
lectione de eo iam melius et magis honorificè sentiant. Viderit autem
alter ille, quid eos maneat, qui parentum cineres turbare non verentur:
quem quia à multis commendari audio, quoad caetera, eò magis detestor
illorum improbitatem, qui incautum sub religionis et pietatis praetextu fasci-
nant, vt ea designet, quae cum religione et pietate pugnant. Sed non dor-
mitat Deus, qui vbi hoc ventilabro aream suam repurgauerit à paleis in-
felicibus, tandem manum suam è coelo exeret, et suorum causam tuebitur.
Ferè celeriter transeunt nubes, quae tempestates exitiales minabantur, et
facile est Deo tempestates iam cum fragore ruentes aliò transferre: quod
hodie etiam factum confido suorum precibus exoratum. Interim certum est
alibi quoque multis animos creuisse, qui nobis malè volunt, et ex ijs, q
in Palatinatu sunt Argentinae occasionem arreptam esse turbandi et euer-
tendi Ecclesiam Gallicam, quae illic erat. Intercesserunt pro ea nostri cum
Bernensibus, Basiliensib. et Scaphusianis, sed non magno cum successu: et
de multis conquesti sunt Argentinenses, quae praeter decorum illic Galli hucusque
fecerint: quibus nos non multum tribuimus. Nam etsi ingeniorum istorum
immodestia mihi satis perspecta sit, scio tamen aduersarios nostros, qui illic sunt,

religionis purioris odio fecisse quicquid fecerunt. Basileae idem iam tentarant, imò
iam confecerant nonnulli, sed res aliquo modo restituta est, et de tota illa Ecclesia
mihi spem magnam facit Doct. Jacobi Grynaei industria et indefessum studium, quo
creditam sibi professionis Theologicae provinciam obit, non quidem sine invidia et
odio multorum, sed non absque successu. De rebus nostris non habeo ferè quod scri-
bam. Publicae, in eodem, quo prius, statu sunt: privatae satis prosperae; sentio tamen
senectae ingravescentis incommoda, et simul experior indies, quantum in genero
Simlero et filio meo amiserim, qui me in hoc stadio currentem multum iuva-
re poterant: Illis autem gratulor, imprimis filio, quem Deus ad se recepit, priusquam
infelicibus et scandali plenis nostri seculi vitijs implicaretur. Quae in Gallijs
fiant, aliunde Excell.a tua rescire potest. Nos iam rariores accipimus literas
propter pestem, quae Bernae vehementer grassatur, et eum tractum quoque infe-
stat, qui inter Helvetiam nostram et Genevam extenditur. Ad D. Eberardum
à Broik scribere non possum, quod Croshonerus nr toto die citius quam putarat
iter ingreditur, et ego praeter opinionem incidentibus negotijs premor. Ne autem
gravetur Excell.a tua illi meis verbis salutem dicere, et eidem tradere alterum
narrationis de Vita Simleri exemplum. Deum Patrem precor, ut tuam Ex-
cell.am servet et suo spiritu regat. Tiguri 27 Augusti. Anno 1577.

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Generoso et illustri Do:
mino, D. Ludouico, Co:
miti in Vuitgenstein,
domino suo cum omni
reuerentia honorando.

C. i

[illegible] 8. Octob.
[illegible] 77

5 30

S. Deberem Ludovice Comes generosiss. et Domine mihi cum omni reve-
rentia observande, tuae Excell.ae gratulari propter otium et liberiore
vivendi potestatem, quam tibi tandem obtigisse scribis: sed cum huius
causa et occasio sit infelix Ecclesiarum in Palatinatu dissipatio, quam Christia-
nissimi principis Friderichi Electoris obitus peperit, non dubito quin
libertas illa atque otium tibi negotijs, quibus ante distinebaris, mole-
stius sit: meum certe animum acutissimis doloribus pungi sentio,
quoties de Ecclesiarum eversione, fratrum exilijs et egestate cogito, et
simul audio tam multos viros, qui doctrina, consilio et authoritate
afflictissimis nri saeculi rebus subvenire poterant, non habere quod
agant, adeoque à rebus agendis procul arceri. Meretur hoc nostri sae-
culi ingratitudo et prophanus Verbi contemptus, qui apud eos etiam
dominatur, qui puriorem religionem profitentur, eius autem praetextu
ad commodum privatum aut morum licentiam abutuntur. Poterat
tamen aliqua ratione ferri Palatinarum Ecclesiarum calamitas, nisi q
in Saxonibus exorta est tempestas, ~~fat~~ universalem grandinem
toti Germaniae minitaretur, quae omnia longe lateque vastabit,* [* et simul spem restitutionis omnem extinguet, *]
nisi Deus suam manum è caelo exerat. Enimvero non possum satis
mirari quorundam principum oscitantiam, qui neque temporum nostrorum
calamitosissimum statum et commune quod ab Hispanis et alijs Anti-
christi coniuratis Germaniae iminet periculum, [^ animadvertunt, ^] neque vident
Theologos, qui hanc telam exorsi sunt, privata ambitione et avari-
tia abripi, ut cum publica religionis et Veritatis oppressione suae
existimationi consulant. Illustrissimum principem Guilhelmum Land-
gravium de hac re diligentius cogitare ex literarum eius ad Electorem
Saxoniae exemplo non sine animi laetitia intellexi, et spero aliquos
in eius sententiam abituros, nisi forte Deo placeat vertiginis spiritu
simul omnes dementare, ut tam diu contemptae Veritatis poenas
luant. Non dubito quin audierit tua Excell.a, quid superiori anno
in Synodo Francofurti habita decretum fuerit. Remoram iniecit illi
negotio D. Ursini nimia modestia, qui cõis Confessionis delinean-
dae provinciam detrectavit: neque audivi ab eo tempore, quid praeterea
sit actum. Helvetij nostri in hac causa suam operam liberaliter
hucusque polliciti sunt, solis Basiliensibus exceptis, apud quos Dio-
trephes quidam pertinacissime Lutherizans sua astutia et hypocrisi
multos fascinat. Attamen communibus Tigurinorum, Bernensium
et Schafhusianorum literis apud illius Civitatis Senatum impetratum
est, ut ministris suis graviter edixerit, ne Pandorae illi Jacoban-
dreanae subscribant. Idem fecerat iam ante Argentinensis Reipub.

Senatus, ~~est~~ idemque similib. nrorum literis confirmatus decretum pristinum stabilivit. Non tamen quievit propterea illis Marpachius, qui fabulam hanc non minori cum impudentia quam pertinacia agere pergit. Interim non desunt, qui moderatiora consilia sequuntur: experimur autem indies non temere à Christo dictum, filios huius seculi prudentiores magisque industrios esse in sua generatione, quam filios lucis. Quapropter tuae Excell.ae consilio assentior, precibus potius quam humanis consilijs opus esse, quibus Dei iram avertamus: quando quae bene instituta sunt, tam lentè procedunt: et optimè faciunt magistratus, qui cum communis reformationis spes nulla affulgeat, de religione inter suos rectè constituenda satagunt: quod etsi te facere minimè dubitarim, volupe tamen fuit hoc ex literis tuis cognoscere, et Deum Opt. Max. precor, ut conatibus pijs et sanctis benedicat. Scripsi ego ante aliquot menses homilias 10 in Joannis Cap. VI de pane vitae et eius manducatione, quarum exemplum mitto. Insolens fortè videbitur nrae gentis Idioma, puto tamen posse à lectorib. non omnino fastidiosis intelligi. Italiae vicinae nescio quid mali portendunt monstrosi foetus. Cherij (quod Pedemontij oppidum est,) 10 Januarij ex puella nupta natus est hermaphroditus, cornua quatuor ex capite protuberantia gestans, et ex occipitio caudam carnosam per tergum demittens, et aliam eiusdem ferè formae collo circumvolutam habens: manus et pedes referunt anserinos, crura et genua iumentorum genib. similia sunt. Ego ab Italo rogatus quid sentiam, respondi Italorum mores notari, qui et Deo ipsi cornua faciant (quod illos de ~~u~~xorib. adulteris solere dictitare nosti.) dum post personatum eius vicarium fornicantur, et vitam vivant bestialem. Alterius monstri in agro Mediolanensi nati typum vidi, quod septem capita habet, totidem brachia, in capite autem, quod altera excedit unum modò in fronte oculum, crura et pedes cum unguibus, aquilarum similes. In Gallijs omnia ad interitum spectant. Pax multis in locis impunè violatur, Rege interim se excusante quod ipso invito et nescio ista fiant. In Sorbona publicè disputatur, Reges non successione sed electione creari debere. Burdigalae celebris quidam monachus concionatur, regnum Guisijs deberi, utpote ex Caroli Magni stirpe oriundis. Ita infelices Valesij tot perjurijs et parricidijs hoc unum meruerunt, ut ipsos Pontifices iam illorum satietas ceperit. Ex Belgico non nisi tristissima audimus, nec boni aliquid sperare possumus de ijs, qui et Christum publicè abiurarunt, et res suas ita instituunt, ut nihil stolidius

fingi possit. Cum Hispanis bellum gesturi, de obedientia protestantes,
et Austriacum Hispanis opponunt. Utinam Deus nobis Auraicum
servet, ne perfidorum proditoriis artibus circumveniatur. Sed non put.
tuam Excell.am latere quae illic fiunt. De Eberardi mei morte
nisi dolerem, ferreus essem; nam me olim, cum simul in Hessia et
in Comitiis Ratisponensib. essemus, amore verè fraterno prosecutus
est, et postea me in honore et pretio habuit maiori, quàm ego de
ipso promereri potuerim. Eoque magis me afficit inexpectatum de eius
obitu nuntium, quòd eius ad nos adventum superiori anno expe-
ctarem. Nam filium ad me mittere, aut ipsus adducere statuerat.
Sed vivit iam ille verè in meliorem sedem receptus: Deum verò precor
ex animo, ut ipse orphanorum patronum atque tutorem agat: et utinam
in me esset aliquid, quo eis commodare possem. Haec quae festinan-
tissimè scripta inter innumeras alias occupationes, ut Excell.a tua
aequi bonique consulat rogo. D. Olevianum salvere plurimum iu-
beo, et ut tu generosiss. Domine cum uxore et omnibus tuis
quam felicissimè valeas in Christo Jesu, ex animo precor. Tiguri
4 Martij. Anno 1578.

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino,
Dno Ludouico Comiti Vuit-
genstenio (N.): Domino suo
cum omni obseruantia ho-
norando.

pst 23. Martii 78
Berleb

8 31

S. Posterioribus literis, Martio mense scriptis, petit Excell.a tua Illustris et generose Comes, quid de adulterio et eius poena sentiam, ut item ex Verbo Dei demonstrem; quod in tanta sententiarum varietate christianus magis tutius sequi debeat. Est haec quaestio digna, quae hoc saeculo corruptissimo probe cognoscatur, et utinam eius consideratione excitati principes, de coercenda adulteriorum licentia diligentius et serio cogitarent. Quia vero mihi iam in multis aliis occupato non licet omnia prolixius persequi, quae de hoc argumento dici poterant; spero Excell.ae tuae me utrinque satisfacturum, si praecipua eius capita, quantum epistolae ratio patitur, attingam. Quod ut rectius fiat, dicam primo, quid sit adulterium, a quibus committatur, quae item huius sceleris sit atrocitas, et quam multiplex culpa. Deinde quid de eius poena ex sacris literis colligi posse existimem. Quid adulterium sit, ex eius opposito, quod est coniugium, optime intelligitur. Est autem coniugium legitima viri unius et feminae secundum Dei ius institutum coniunctio. Adulterium vero fuerit omnis illegitima et Dei ius instituto contraria viri aut feminae cum alterius coniuge commixtio. Et non male sentiunt Gramatici, qui inde dictum putant, quod sit ad alterius coniugem libidinis explendae causa accessio. Germani expressissimo vocabulo dicunt Ein Ebruch, quod vinculi coniugalis abruptionem sive fractionem significat. Quisquis vero thori vel sui vel alieni ius violat, sive vir sit sive femina, is revera adulter est: quamvis in eo alius alio gravius peccet. Potest enim inter adulteria discerni, ut aliud simplex, aliud duplex esse dicatur. Simplex erit, si maritus cum soluta, aut uxor cum soluto misceatur: Duplex, si uterque coniugali fide obstricti, hic sua coniuge fraudata ad alterius uxorem accedat, et haec viro suo debitam fidem fallens cum alterius viro stupri consuetudinem habeat. Et quamvis hoc gravius sit, eo quod duo coniugia simul violentur, non tamen obstat hoc, quo minus adulterium etiam cum soluta et soluto committatur. Itaque scelus hoc non in solas mulieres cadit, quae cum aliis miscentur, sed eodem viri etiam tenentur, ad quamcunque aliam accedunt. Et falluntur, qui maritum ab adulterii crimine absolvunt, si cum soluta rem habeat, eo quod illi in uxorem ius sit et imperium, neque ipse in uxoris familiam transeat, sed potius haec ipsius familiae inseratur. Nam etsi hoc ita sit dominationis titulum, quoad tamen coniugii ius, iisdem legibus vir et femina tenentur, et (teste Apostolo) neque haec neque ille sui corporis potestatem habent: et (ut D. Ambrosius scribit) non licet viro, quod mulieri non licet: sed eadem a viro, quae ab uxore, debetur castitas. Quod inter gentes etiam sapientissimi quique intellexerunt. Nam D. August. alicubi legem Imperatoriam citat, quae marito non concedit ius agendi contra uxorem adulteram, cum ipse non praebuit castitatis exemplum. Nemo igitur hic sibiipsi delitias faciat. Nam quisquis cum alia miscetur, quae ipsi non legitimo coniugii vinculo copulata est, is ad Dei tribunal adulterii reus est. Quam grave autem et multiplex illud crimen sit, quod hodie (quae nostri saeculi calamitas est) multis ludus iocusque putatur, facile vident, qui rem ipsam cum suis circumstantiis propius inspexerint. Etenim primo in ipsum Deum peccatur, quando coniugii pactum abrumpitur, cuius ille author est, et quo nullum sanctius, nullum item magis necessarium habetur, quando ei, quam parentibus debemus, pietas cedere debet. In Deum item iniuria redundat, quando sub eius nomine in Ecclesiae suae conspectu data fides violatur. Ideo Malachias iis, qui dimissis uxoribus legitimis alias duxerant, dicebat: Dominus testatus est inter te et uxorem adolescentiae tuae &c. Accedit his sacrilegii species, quando corpora, quae Christi sanguine in templa Spiritus sancti consecrata sunt, prophananturque et scorti membra, adeoque effrenis ac indomitae libidinis organa fiunt. Deinde multiplici iniuria proximus laeditur. Nam coniugi datam fidem fallunt adulteri, et suo corpore, cuius ius et potestatem ipsi non habent, alteri agglutinantur, quo cum nulla legitima copula ipsis intercedit. Et eadem opera doloris ac irae iustae causam sive materiam ei praebent, cuius molestias et aegritudines ipsi sublevare debebant. Imo, quia una cum coniuge caro sunt, propriam carnem molestia afficiunt, adeoque insanientium more in propria membra saeviunt. Nec minor iniuria fit uxoris parentibus et cognatis, quos propter affinitatem colere, et omni humanitatis officio prosequi debebant: quae causa est, ut ex coniugiis, quae si sancte serventur, publicae pacis et concordiae inter cives vinculum sunt, saepius lites et acerrimae dissensiones nascantur, quibus pax publica turbatur, et clariss. familiae non sine totius Reipub. detrimento inter se committuntur. Adde his, quod adulteri his contumeliae maximae et perditionis authores sunt, quibus ad exa-

curandam libidinem suam abutuntur, siue illae aliorum ancillae aut filiae aut coniuges sint. Nam ex illis dia;
boli mancipia et organa faciunt, et quantum in ipsis est, breuis et euanidae voluptatis causa illas vnà
secum sempiternis infernalium tormentorum cruciatibus mancipant. Quòd si comparatione uti lib;
eat, adulterium sceleribus, quae vulgo grauia et turpia censentur, grauius est et atrocius. Simplex scorta;
tio à regno Dei excludit eos, qui in ea poenitere nescij perseuerant. Quid ergo adulterium, quod illa
detestabilius esse, nemo tam stupidus est, qui non intelligat, nemo tam impudens, vt negare ausit.
Similiter qui parentes violant, aut ijsdem debitum obsequium contumaciter negant, diuinis legibus ca;
pitis poenam luunt. At tantò grauius peccant adulteri, quantò sanctius est coniugium, cuius
ergò homo parentes suos debet relinquere. Paulus item infideli deteriorem dicit eum, qui suis
non prospicit: Quales ergo, qui vt libidini suae satisfaciant, vxores et liberos suos non modò negli;
gunt, sed insuper inhumanissimè tractant: quod adulteris ferè proprium esse, exemplis
quotidianis constat. Inter vulgaria scelera nullum furto illiberalius et turpius censetur
At hoc cum adulterio collatum, tanto leuius erit, quantò coniugalis fides omnibus fortu;
nae bonis antiquior est et pretiosior. ¶ Adhaec plagiarios, qui hominem liberum furantur
aut rapiunt, alijsque vendunt, mortis supplicio mulctare Lex diuina iubet. At plus quam
plagium committit, qui alterius filiam siue vxorem sibi vendicat, et (vt modò diximus)
eò pellicit, vt sese diabolo mancipent. Superat autem haec omnia, quòd Deus, quo nemo me;
lius et iustius de sceleribus iudicare potest, defectionem à vera fide et idololatriam fornica;
tioni siue adulterio confert: Quod minimè facturus erat, si quod aliud scelus esset, quo illius
atrocitas verius et melius posset exprimi. Oportet ergo inter ea, quae proximum concer;
nunt, nullum scelus adulterio turpius, iniustius et atrocius inueniri, cum ei simile sit,
quod laesae diuinae Maiestatis reos facit. Nam alia omnia eos, in quos peccatur, vel fortunis spo;
liant, vel eorum famam laedunt, vel quoad corpus eis vim faciunt, vel etiam innocentibus
vitam eripiunt. At qui alterius vxorem in adulterij nassam pertrahit, aut alicuius filiam
libidinis illicitae mancipium facit, is eadem opera ijsdem author est, vt non solùm infa;
mes fiant, sed et simul rem domesticam turpiter dissipent, et interdum quoad corpus
et animam infeliciter pereant. Tam multa tamque grauia scelera in adulterio concurrunt, quae si
quis omnia recensere, et dignis modis amplificare velit, dicendi finem vix vnquam inueniret.
Volui autem haec vel obiter recensere, vt ex ijs eorum consideratione appareat, non absque ratione
adulteris tam graues poenas diuinis legibus decerni, nec temere pro iniquis et crudelibus
habendos esse, qui vt diuina lex hominum consuetudini et receptis moribus praeponderet,
exigunt. Etenim hunc sensum ante latam Mosis legem omnium gentium cordibus à Deo in;
situm fuisse, vt adulterium inter capitalia scelera, quibus ira Dei quam maximè accenditur,
numerarint, Pharaonis et Abimelechi Regum exempla testantur, vt iam de Josepho nihil
dicam, qui de vita periclitari maluit, quam thorum herilem violare. Sed et Jobus, dum suam
innocentiam aduersus amicos, audacius et morosius secum agentes, protestationibus gra;
uissimis tuetur, inter alia flagitia adulterij meminit, dicens: Si concupiscentiae vxoris alienae
obnoxium fuit cor meum, et ante ostium sodalis mei insidiatus sum: Permolat vxorem meam a;
lius, et alieni sese incuruent super eam: Hoc enim grande flagitium est, et iniquitas capitali actione
digna. Estque deploranda nostri saeculi calamitas, quòd post datam Legem, post Prophetarum gra;
uissimas conciones, post Euangelium in toto orbe promulgatum, post denique tot tristia iudiciorum
Dei in adulteros edita exempla, apud plerosque ea Legis naturae notitia extincta est, quae prius;
quam Lex scripta extaret, in omnium cordibus locum habuit. Nec tamen extinctam possumus dicere, si
verum fateri volumus. Nam licet ferè vbique gentium marito moechum in αὐτοφώρῳ depre;
hensum vnà cum vxore confodere, et quantum in ipso est, vtrumque quoad corpus et animam per;
dere, non sine publica Christianorum magistratuum contumelia, qui in tali casu gladium homini pri;
uato permittunt, interim ipsis crudelis nimium et iniquus putatur, qui vt ipsi secundum Legem Dei
de adulteris poenas sumant, monet: et quidem eas, quibus etsi corpus pereat, anima tamen
seruatur, et ex diaboli laqueo eripitur. Ex eo certè apparet, Deum non omnem Legis suae sen;

¶ Sed et cum adulterio ferè furtum concurrit, quando ex hoc nati infantes adulterae marito educandi supponuntur, qui postea haereditatis etiam alienae partem intercipiunt. ¶

sum ex cordibus hominum expunxisse, sed plerosque videntibus oculis coercere, et reclamante
propria conscientia pudorem omnem abstersisse. Ut tamen de adulterij poena capi-
tali apertius dicam quod sentio, observari debent huius sceleris gradus, et quod supra a-
dulterium aliud simplex, aliud duplex esse dixi. Et quia Deus capitis poenam ijs solis ex-
pressè decernit, qui alterius uxorem sive sponsam violaverit, nolim ego magistratui Christia-
no author esse, ut illam longius extendendo, velit ipso Deo severior scelerum vindex videri.
Est quidem adulter, qui cum soluta miscetur: attamen quia minus ille peccat, qui et suae uxori
datam fidem fallit, et simul alterius uxore abutitur, mitius cum eo agi poterit pro delicti ratio-
ne et recepta gentis consuetudine: modò id caveatur, ne impunitas et iocularis animadversio
qua hodie à multis peccatur, adulteriorum licentiam pariat: sed ut qui peccarunt, se et Deum
et Ecclesiam graviter offendisse intelligant, et de poenitentia serio cogitent. Neque hic audien-
di sunt, qui Novi testamenti gratiam Legis rigorem sustulisse dicunt, neque licere principib.
sive magistratibus Imperij, etsi ius gladij habeant, absque Imperatoris et communi Ordinum
Imperij consensu in adulteros capitis poenam statuere. Etenim Novi testamenti gratia poeni-
tentibus offertur, nosque per fidei obedientiam Deo subijcit, non scelerum licentiam invehit. Nec
unquam oblivisci debemus gravis illius protestationis, qua Christus Legis expositionem aggressurus,
ait: Non veni ad solvendum Legem, sed ut impleam. Qua vero ratione probabimus, ipsum
adulterij poenam mitigavisse, qui eius reos facit eos, qui mulierem lascivo intuitu spectant,
ad concupiscendum eam? qui item oculos nequam eruere iubet, ne toti, quanti sumus, in
gehennam conijciamur? Cur denique sub Novi testamenti praetextu poenam capitalem remittamus a-
dulteris, quos illius leges à regno Dei excludunt, corpore et anima aeternis supplicijs mulctan-
dos? Et quia, Illustris ac generose Comes, ex Dei Verbo demonstrari petis, quid in ista sen-
tentiarum varietate Chrianum magistratum sequi conveniat, non possum ego ijs assentiri, qui
absque communi oim Ordinum sive Statuum Imperij consensu nihil licere putant ijs, qui ius gladij
quidem habent, attamen subditi sunt: ne qui ex Veteris testamenti legibus damnatur, ius commu-
ne sibi denegari clamitet. Etenim ut Reges et principes Chriani Filium Dei osculari, et huic
in timore ac tremore servire iubentur: ita populi Chriani pro suis principibus precatio communis
est: Deus iudicia TUA Regi da, et iustitiam TUAM Filio Regis. Debent ergo illi iudicia Dei
exequi, non quid huic aut illi in more sit, observare, ne cum Deo simul et cum eius populo
ludere videantur. Scio Iurisconsultos ista non facilè probaturos esse: At ego, qui in Ecclia mini-
sterio versor, et Verbi Dei dispensator sum, tam principes quàm subditos debeo hortari,
ut Deum in suo Verbo loquentem audiant. Quod si omnes facerent, minus quaestionum
et turbarum haberet Ecclesia, et mox cancellis angustioribus licentia scelerum coerceretur, quae
hodie religionem Chrianam, non solum papistis, sed Iudaeis et Turcis quoque deridendam
propinat. Poterit autem Christianus magistratus, meo iudicio, minori cum periculo
atque molestia adulterij poenam secundùm Dei Legem constituere, si populum prius ex
Dei Verbo probè instituerit, et postea decretum cum oim suae iurisdictionis Ordinum
consensu atque communibus suffragijs faciat: Quod patres nri in Tigurina Repub. obser-
varunt, cum ante annos circiter LVIII in suis terris Evangelio locum dedissent
et Eccliae atque Reipub. reformationem instituerent. Qua ratione factum est, ut multae leges
quae tunc in primo illo omnium fervore ~~latae~~ ad coercendam inter gente libera et armis assue-
ta morum licentiam latae fuerunt, nobis adhuc salvae maneant, quae multis intolerabiles
poterant videri, nisi publica Urbis et Agri approbatione fuissent receptae et confirmatae.
Id verò Principibus fortassis durum et iniquum videbitur, populum videlicet in consilium
~~admittere~~ adhibere, et huius suffragia colligere: Sed meminerint ijdem, quàm multum
saepe equis ferocioribus indulgeant, quàm serviliter illis blandiantur popismis, iubarum tra-

et dorsi tractatione, ut illis commodioribus uti possint. Cur q̄ non eadem animi moderatione utantur in tractandis hominibus, qui nisi ipsis obediant, ne principatus quidem ipsorum potest consistere? Meminerint item ijs tutius et facilius imperari, qui ex Dei verbo de rebus agendis persuasi, sibijpsis leges condunt. Haec inter turbas negotiorum scripsi, ut tuae Excell.tiae morem gererem, quae ut aequi consulas Ludovice Comes generosiss. etiam atque etiam precor. Quod si quis meliora ex Scripturis proferat, me et docilem et monitori gratum praebebo. De ijs, quae passim iam fiunt non sine solicita omnium expectatione, ex nundinis veriora et recentiora cognoscere poteris. Quoad nos, valeo pro aetate per gratiam Domini, et Junio mense filiam, quae Dni Simleri p. m. coniux fuit, Heinricho Wolphio (. qui tuae Excell.tiae reverenter et officiosè salutem suis verbis adscribi voluit.) despondi: quod et aetas utriusque satis commendaret, et illum optimi et doctiss. parentis vestigijs ~~[illegible]~~ sedulò insistere viderem. Deus Opt. Max. tuam Excell.tiam cum generosa coniuge et tota familia clementer servet, atque consilijs sanctissimis benedicat. Amen. Excusus est apud nos Orthodoxus de Coena Dnica Ecclesiae Consensus dimidia fere parte auctus, cui ita postulante praecipuo eius libri authore, ego praefationem praefixi Apologeticam, quae seorsim quasi excusa est. Jussi Froschovero, ut librum illum Excell.tiae tuae transmittat cum hisce meis literis. Tiguri 26 Augusti. Anno nati Christi 1578.

Tuae Excell.tiae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus

Illus.tri et generoso Domino, D. Ludovico, Comiti in Witgenstein &c: Dno suo [illegible] observando.

Tigurj 1578.

2.

S. Mirabar Illustris et generose Comes, quòd autumnalibus superioris anni nundinis
nullæ à tua Excell.ª literæ afferrentur: quæ causa fuit, ut neque ego postea proximis
nundinis vernalibus aliquas dederim, cum et certum scribendi argumentum non ha-
berem, et alioqui plus satis essem occupatus. Fateor autem tuæ Excell.æ silentium mihi
pulchre foeneratum fuisse, quando nunc binas abs te literas accepi: quarum priores silentij
illius causam indicant, afflictam nimirum valetudinem, quam in melius restitutam
esse, gaudeo: deinde quæstiones proponunt, de quibus Excell.ª tua meam sententiam re-
quirit: posterioribus autem Ludovicum Senden alumnum et suum ex baptismo filium
mihi commendat, ut hunc in schola et præceptoribus deligendis meo consilio iuvem.
Ut verò ad has primum respondeam, mihi sane iucundissimum fuisset, hoc officio testa-
ri, quanti tuam Excell.am faciam. Sed quia ille nullus ad nos venit, eam occasionem
mihi ereptam esse doleo: polliceor autem, me officij non immemorem fore, si quando ad
nos venerit. Quoad autem priores literas, quærit primum Excell.ª tua, Quate-
nus Lex Mosis forensis Christianum magistratum obliget, ut possit bona conscientia
gubernare. Ad quam quæstionem respondeo, Deum in Lege per Mosem lata suam
voluntatem revelavisse, quam omnium legum fontem atque originem esse, nemo
opinor negabit: regulam item, cui leges omnes morales, civiles et forenses convenire
oporteat. De ceremonialibus nunc n. opus est dicere, quas in Christi morte abrogatas
esse, omnes fatentur. Quoad alteras illas, ego ut morales perpetuas esse constat, ita
forenses quoque, quoad earum substantiam (ut sic loquar) firmas et stabiles manere
existimo: quoad formam verò earum, illa sola vel abolita prorsus esse, vel pro gentium
et locorum ratione mutari posse sentio, quæ olim ad solam Israëlis Rempub. pertine-
bant, in qua propter tribuum et familiarum distinctionem, et terræ inter has divi-
sionem, ne qua confusio fieret, multa observari oportuit, quæ hodie non sunt necessa-
ria, et ferè commodius prætermitti possunt. At quæ eiusmodi sunt, ut omnibus lo-
cis atque temporibus conveniant, non facile mutari debent, multò minus omnino
tolli, nisi Deo sapientiores et prudentiores haberi velimus. Moralis Lex tota cum na-
turæ Lege consentit, et (ut Apostolus monet) conscientiæ et cogitationum nos in
cordibus nostris accusantium et excusantium testimonio sit confirmata, ut de illius
authoritate irrefragabili nemo possit dubitare, nisi qui communes et naturales noti-
tias in dubium vocare velit. Quia verò Deus suarum legum tutores atque vindices
constituit magistratus, ad Christianos principes cumprimis pertinet, quod in
Psalmis canitur: Deus, iudicia tua Regi da, et iustitiam tuam filio Regis: ut ius di-
cat populo tuo in iustitia, et afflictis tuis in iudicio. Obligantur ergo magistra-
tus Christiani Lege Dei, ut secundum hanc iudicent, et illius transgressores puniat,
id quod conscientia bona et secura facere possunt. Quod enim de puniendis pytho-
nicis, ariolis, incestis, homicidis alijsque similibus dicitur: Sit sanguis eorum super eos:
id omnibus alijs legis transgressoribus applicari debet, atque ideo additum est à Deo,
ut iudicum conscientijs consuleret, ne grave illis videretur morte mulctare eos, quos il-
lo occidere iubet, et qui hoc suis sceleribus meruerunt. Quam ob rem ut inexcusabi-
lis et cum sacrilegio coniuncta est audacia, libertatem Christianam arctioribus
cancellis constringere, et sub damnationis æternæ poena aut comminatione prohibe-
re, quæ Deus concessa et licita esse voluit (quod Pontifices Rom. in multis facere
consueverunt:) ita non minus peccant, qui impunita sinunt, quæ Deus punita et exter-
minata vult. Observavit hoc sapientiss. mortalium Solomon, quando dixit: Qui iu-
stificat vel absolvit sontem, et qui condemnat insontem, uterque est abominationi
Domino. Item, Qui dicit impio, iustus es, huic maledicunt populi, hunc nationes detesta-
buntur. Scio multis aliter videri, et plerique sibijpsis nimium indulgent in dispensandis

aut mitigandis supplicijs, et hanc suam audaciam misericordiæ prætextu velant. Cæterùm huic indulgentiæ debemus effrænem scelerum licentiam, quæ passim grassatur: et hac ratione scelera, quæ à priuatis designantur, publica fiunt, atque communi reatu omnes grauant, qui illa impunita sinunt. Itaque principes viri, qui huius impunitatis authores sunt, sibi dictum putent, quod olim Achabo dicebat Propheta: Quoniam dimisisti virum anathematis mei .i. virum, quem ego excindere iussi, erit anima tua pro anima illius &c. Possunt hæc fortassis duriora videri viris politicis et iurisconsultis: At ego, quem sui Verbi administrum esse voluit Deus, aliter sentire et loqui non possum, quàm Scripturæ docent, in quibus ex Spiritus Sancti inspiratione loquuntur sancti Dei homines.

Quærit deinde Excell.a tua generosissime Domine, quid de choreis et saltationibus sentiam, quæ iam et conuiuijs hominum illustrium adhiberi solent, et vulgò nuptiarum appendices sunt. Ego verò, nisi licentia ista vulgò regnaret, non sine multorum piorum dolore (quibus te quoque Illustris et mihi plurimùm obseruande Domine, adnumero) dicerem quæstionem hanc admodum intempestiuam esse hoc sæculo, quando periculorum et calamitatum plena sunt omnia, et securis ad arborem radicem posita omnis loci et ordinis homines ad resipiscentiam vocat, cui ieiunia et preces assiduæ coniungi debebant. Sed hæc est nostri temporis calamitas, vt sicuti inane perpotandi studium nullis Verbi diuini admonitionibus, nullis item periculis, quæ nos circumstant, coërceri potest: ita nullus etiam chorearum aut saltationum modus aut finis sit. Miror autem inter Theologos quoque nonnullos inueniri, qui has christianis hominibus licitas esse dicunt, cum neque vetustate, neque exemplis laudatorum hominum commendentur. Non ignoro quidem chorearum et saltationum mentionem fieri in sacris et prophanis literis, et illas non inter ludos modò, verumetiam inter sacra in vsu fuisse: sed inter veteres illas et nostras tantum discrimen est, quantum inter cœlum et terram esse cernitur: adeò vt ne lasciuissimæ quidem gentium saltationes cum nostris conferri possint, in quibus vir et fœmina consertis manibus saltitant, et plerunque lasciuo corporis motu latentem animi leuitatem produnt, vel etiam illiciti amoris indicium præbent, et sæpe ne à complexibus quidem, alijs spectantibus, abstinent. In prophanis historijs nihil huius simile reperio, quàm quod Mænades (quas ab insania aut furore sic nominarunt Græci) in Bacchi Orgijs factitarunt, aut in Floralibus Romanæ meretrices, quas tamen præsente Catone consuetæ suæ impudicitiæ puduit. Ex sacris autem literis huc fortassis referri poterit, quod de saltatricula Herodiana scribitur, quæ suæ lasciuiæ præmium accepit Joannis Baptistæ caput, vt hoc ad matrem incestam deferret: Quamuis ne illam quidem virum aut iuuenem saltationis socium habuisse legatur. Tanta autem est eius exempli indignitas, vt vel solum sufficere debeat ad deterrendum christianas fœminas aut virgines, ne incestam illam, et tam atrocis parricidij ream, vel in minimo imitentur: alios autem omnes monere possit, ne in re pessimi exempli sibijpsis delitias faciant. Apostoli clamant: Filioli, ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Item, Ab omni specie mala abstinete. In mundo autem esse dicuntur, cupiditas carnis, cupiditas oculorum et fastus vitæ. Quis verò ista à saltationibus abesse dicet? Annon in his cupiditatum irritamenta, lasciuiæ oculorum fomites et materia offeruntur, vt iam de contactu ~~nihil dicemus~~ et complexu petulantiori nihil dicamus? At quia propter multas et graues occupationes nunc non licet pluribus de hac re agere, Excell.tiam tuam ad ea remitto, quæ in Marco nostro homilia 51 scripsi. Et si vitam Deus dederit, plura fortassis dabo, vbi in Matthæi explicatione (in cuius Cap. no-

ne nunc versor) ad historiam Joan. Baptistae pervenero. In praesenti hoc unum addo,
me quidem in hac seculi nostri licentia vix posse sperare, ut saltationes in universum
tollantur: et scio Christianos magistratus multa saepe invitos ferre, quae correcta vel-
lent: fateor denique, nos etiam hoc saxum iam multis annis volvere, nec tantum pro-
fecisse adhuc quantum optamus: Attamen principes et magistratus Christianos ad-
monitos velim, ut si ulterius non possint progredi, saltem protestentur, petulantiam
istam sibi improbari, eamq; quoad eius fieri potest, coerceant. Vehementer timeo,
brevi fore, ut infelix Germania suae ingratitudinis, idolomaniae, artolatriae, con-
tempti item Evangelij poenas det, et multi aliquando ad Turcicam vel Hispa-
nicam vestem saltitare cogantur, qui nunc siccis oculis et absque gemitu, fratrum
sub cruce laborantium clades et Ecclesiarum ruinas spectant. Nobis etiam peri-
cula undique imminent. In Helvetiam venerunt duo Episcopi Itali Roma missi,
qui consilia sua occultè cum Papistis conferunt. Hoc certe avium genus nostrae
genti semper inauspicatum fuisse, annales nostri testantur. Genevam à Papa
prae alijs peti, ex literis Pontificis constat, quarum exemplum vidi: et quibus Papistis
nostris gratias agit, quòd hucusq; obstiterint, ne in foederis Helvetici societatem reci-
perentur: et per Christi lachrymas atq; sanguinem rogat, ut idem pergant porrò
facere. E contra graviter fremit adversus Galliae regem, qui cum Bernensibus
et Solodorensibus pro Genevae defensione foedus ferit: quod multis portento simi-
le videtur, multi ne quid monstri sub illo lateat, metuunt. Capita foederis
praecipua sunt, ut si necesse sit, Bernenses ac Solodoren. quinque vexilla mili-
tum Genevae in praesidio collocent, quibus Rex stipendia numeret: quòd si
res ad bellum apertum et obsidionem deveniat, idem in singulos menses Corona-
torum quindecim millia impendat, et in eum usum certam pecuniae summam
Solodori deponat. Legatus regius, qui illic agit, licet professione Papista sit,
Hispani tamen et Sabaudi partes acriter oppugnat, ad me quoq; frequenter
scribit, et in explorandis Papae et Hispani consilijs hucusq; bonam operam
nobis navavit. Vident enim Galli, quanti referat Genevam sua potius li-
bertate frui, quam ea ab Hispanis occupata, Helvetijs viam et aditum in
Galliam intercludi. Deum patrem miserationum precor, ut periclitantibus
passim sui nominis cultoribus subveniat, hostium consilia dissipet, corda verò
Christianorum principum illuminet, ut quae ad communem pacem faciunt, seriò
cogitent. Idem Excell.tiam tuam generosissime Comes, et Domine mihi plurimum
observande, cum coniuge generosiss. et familia tota clementer servet, tuisq;
studijs atq; consilijs sanctiss. benedicat. Amen. Tiguri 24 Augusti. Anno
nati Christi M.D.LXXIX.

Tuae Excell.tiae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Illustri ac generoso Domino,
D. Ludovico à Sehen, Comiti
ad Vuitgenstein, domino
suo honorando:

+

§ 32.

SQuod Excellentia tua generosiss. Domine et Comes, autumnalibus nun-
dinis nullas ad me literas dedit, ideo factum arbitror, quod ego vernis nun-
dinis tacueram, cum non haberem aliquid scriptu dignum. Spero autem red-
ditas esse tuae Excell.ae quae ad quaestionem de choreis et saltationibus re-
spondi. Et quamvis non multum sit, quod nunc scribam, ne tamen offi-
cio defuisse videar, ea significare lubet, quae partim apud nos facta sunt,
partim aliunde accepimus, cum eiusmodi sint, ut non obscure nos admo-
neant de assiduis Antichristi conatibus et insidijs, quibus Ecclesias ubique
gentium evertere studet. In Helvetiam nostram venit Vercellanus Epi-
scopus sub praetextu disciplinae inter Ecclesiasticos sive Clerum Pontificium
instaurandae: at mox apparuit, illum alias res agere, et consilia sua cum
nonnullis Papae coniuratis conferre, ut nobis turbas daret. Etenim ea
aliquibus persuadere conatus est, quibus admissis neque foedera nostra neque
pax publica potuissent consistere. Adhaec erga Sacrificos et monachos
ea importunitate et severitate usus est, ut illis omnibus exosus sit
factus. Accessit iniuria notoria, qua nostram civitatem affecit, quando
in coenobio quodam Carthusianorum, quod in communi quadam septem prae-
cipuorum Cantonum praefectura situm est, chartae, in qua Tiguri situs et
forma depicta erat, versus famosos et Iambicos affixit. His et alijs
similibus factis multorum utriusque religionis animos a se abalienavit: et
quia intellexit, nostros in hoc esse, ut vel iure adversus ipsum agerent,
vel si hoc non possent apud Papistas obtinere, de ipso in praefecturis co-
(consilium caperet) mmunibus intercip~~ere~~iendo (, de sua pelle servanda cogitare coepit, et supera-
tis alpibus in Italiam, unde venerat, rediit. Fructum legationis suae hunc
reliquit, ut multi ex Papistis Pontificis artes et dolos agnoscant, et no-
bis multo quam antea aequiores sint. Valesiani certe nostri, qui papi-
sticam religionem profitentur, illum intra suos fines admittere nolue-
runt. Interea ex literis 23 Januarij Romae datis intelleximus, Ale-
xandrinum Card. bullam excommunicationis, quam Papa Pius V adversus
Sereniss. Angliae Reginam edidit, nuper denuo excudi curavisse, et eius
exempla circiter quingenta per omnes Regum et principum catholicorum
(ut illi loquuntur) aulas sparsisse. Consilij et facti huius causae indicantur:
Prima, ut Lusitaniae Rex, excommunicatam videns Reginam Angliae, eius
legatum ex aula sua et regno discedere iubeat: nimirum ne per ipsum Hispa-
ni, regno isti inhiantis, consilia turbentur. Altera, ut hac ratione impedian-
tur Reginae illius cum Alanconio nuptiae, quarum fama iampridem sparsa
fuit, et iam inter Anglos revixit, ut nuper ex Eboracensis Archiepiscopi
literis cognovi. Postrema, ut ne qui Reginae illi opem ferant adversus Hi-
spanum, qui maximam classem instruere dicitur, qua illi bellum movere co-
netur, et 10 millia Italorum conscribere ~~co~~ statuit, quos classi illi imponat.
Occasionem Hispano dare feruntur Papistae in Anglia, qui in multis locis res

nouas moliuntur. Ego, cum ista accepissem, duos Praesules Cantuariensem et Eboracensem, mihi ab annis aliquot notos et amicos de hoc conatu hostium admonui. Quid Imperator Rodolphus in suis terris conetur, vobis per Germaniam melius quàm nobis notum est: nec difficile est videre, quò usque eius consilia progressura sint, si res inter suos ei succedant. Ista debebant principes nostros excitare, ut de pace et concordia Ecclesiae cogitarent, neque audirent Balaamos et Elymas, qui sub concordiae ementitae praetextu dissidiorum semina passim spargunt, quae, nisi Deus avertat, toti Germaniae exitio erunt. Nam si in hac bellum civile exoriatur, non deerunt diu exoptatae occasioni Hispani, ut incendium exortum communis patriae ruina extinguant. Quod praeterea scribam non habeo: precor autem Excell.mam tuam, ut hac benignè accipiat. Deus Opt. Max. hostium consilia dissipet, Ecclesias nobis servet, et tuam Excell.mam cum generosa coniuge et tota familia clementer servet ad sui nominis gloriam. Amen.

Tiguri 7 Martij. Anno nati Christi 1580.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino,
D. Ludovico à Sehen, Comi;
ti in Vuitgenstein &c. do;
mino suo cum omni reve;
rentia observando.

533

Ps̃ta 3. Aug. 80

+

S. Non est quod verearis Ludovice Comes generosiss. ne in scribendo nimium officiosus
mihi gravioribus occupato molestiam exhibeas. Nam etsi negotijs pluribus et maiori-
bus gravor, quam ut omnibus recte obeundis aetas mea et ingenij vires sufficiant
amicorum tamen literis adeo non fatigor, ut ex eis potius voluptatem percipiam: eorum
in primis, quos propter egregium pietatis studium et eruditionem merito veneror,
et quorum amicitiam mihi honorificam esse intelligo: inter quos tuam Excell.tiam primo
loco numerare soleo. Laetor autem huic placuisse meum ad quaestiones propositas
iudicium. ^ ~~Atque una veri~~ quam de rebus Belgicis Excell.a tua proponit, Num inter
Evangelicae doctrinae sectatores et Pontificios pax iniri debeat, qualis apud nos in Hel-
vetia colitur et in Germania, qua utrisque religionis suae exercitium liberum relin-
quatur. Atqui eandem quaestionem iam antea ad me misit vir quidam haud vul-
garis, et simul utriusque partis argumenta vidi, quibus alij ~~illa~~ affirmative, alij
negative ad eam respondent. Respondi tum, me non libenter controversijs peregri-
nis me immiscere, de quibus fere tandem ferro decernitur, et quarum circumstantiae non
satis perspectae possint esse ijs, qui longius absunt. Quia tamen hoc nostro calami-
tosissimo saeculo optandum esset, omnibus sub Regum Papisticorum dominio laborantib.
hanc religionis libertatem concedi, quam antehac pij fratres assiduis votis postu-
larunt, et pro qua Galli tot bellis civilibus pugnarunt, miror nunc de illa inter
eos disputari, quos ego hactenus illam quaerere arbitratus sum. Et ne quid dissi-
mulem, ego eorum sententiam probo, qui pacem bello praeferentes, cum diversae religi-
onis civibus eiusmodi pacem colunt, per quam liberum utriusque religionis exercitium
permittitur. Et enim praestat aliquas habere Ecclesias, quam omnino nullas: id
1. quod tandem fiet, si nulla pacis ratio admittatur. Et si negemus nos salva conscien-
2 tia, Papistis pacem politicam colere posse, [illegible] eadem voce illos irritamus,
adeoque eis iustam nos persequendi et extirpandi causam praebemus. Quis enim
ferat civem aut vicinum aut contribulem, qui ~~se~~ pacem publicam se servare
posse aut velle neget, etiamsi ipsi conscientiae libertas concedatur. Nec debent Papi-
stae armis cogi ad abnegandum superstitiones suas ab ijs, qui non habent merum
3 et summum in illos imperium. Neque iubet Deus, ut in ~~eos~~ eos hoc ius aut imperium
absque ipsius peculiari mandato nobis vendicemus, quos ille non subiecit nostrae potestati.
Ideo Apostolis satis fuit, Ecclesias inter gentes et Iudaeos collegisse: ut autem Christia-
4 ni homines vel hos vel illos, quoad consortia civilia, pro hostibus haberent, aut
civilis societatis vinculum abrumperent, nunquam iusserunt. Et notum est Pauli
consilium, qui ne fidelis coniux ab infideli discedat, prohibet, quoad ipsi fidem
5 suam profiteri, et Deo sua illaesa conscientia servire licet. Certe posterioris tempori-
bus necessitas docuit Christianos cum Turcis pacis foedera inire, ne bella non
necessaria cum illis gererent, et de summa rerum temere periclitarentur. Sed et
6. temporum occasiones spectari debent. Qui Evangelium primi praedicarunt, non
initio statim errores omnes aggressi sunt, sed paulatim processerunt in opere
Domini, ne totam Camarinam importunius movendo causae bonae et sanctae
officerent. Neque hodie accusari debent, qui illos pie imitantur, quasi contra Apo-
stoli dictum faciant mala, ut eveniant bona: multo minus quod idololatriam
plantent sive stabiliant. Nam quod faciunt, inviti faciunt: et peritos archite-
ctos imitantur, qui in destruendis veteribus aedificijs caute agunt, ne ipsi cum eo-
rum ruina subita obruantur. In pace autem et concordia constituenda, hoc dili-
genter cavendum puto, ut ijs qui in superstitionibus adhuc perseverant, liberum
sit, his relictis ad Evangelicae fidei professores transire, et horum Ecclesijs sese con-
iungere. Ita brevi fiet, ut piorum numerus alios superet, et Christi regnum indies surgat.

^ Nunc ad eam par-
tis respondebo

quod eo certius sperari poterit, si Christiani res suas pacifice agant, nemini graues
aut molesti sint, et sese charitatis ac beneficentiae studio, moxque item integritate et
omnibus vitae sanctimonia ^omnibus^ commendent. Obijciunt plerique tritum illud Pontificiorum dictum,
Haeretico non seruandam esse fidem, ideoque nos, quos pro haereticis illi habent, eis fidere
non posse. Non autem ex eo sequitur, nos omne pacis vinculum abrumpere debere:
sed potius (ut Paulus iubet) pacem cum omnibus colere debemus, quantum in no-
bis est. Quod si hanc alij perfide turbent, tunc in arena (quod aiunt) inue-
nient pij quod agant, eoque meliori conscientia se et suos contra vim tueri poterunt,
cum non ipsi priores ad arma recurrant, sed ab hostibus in manus ipsis data
arripiant. Possent haec prolixe tractari, sed cum neque mihi satis otij sit, neque
tuam Excell.am hoc a me expectare existimem, sententiam meam exposuisse
sufficiat. Rogo autem Illustris ac generose Comes, ne cuiuis ista de me diuul-
gentur. Nam etsi me huius sententiae nequaquam pudeat, nolim tamen rixatori-
bus occasionem praeberi, qua me in theatrum nouae contentionis protrahant.
Et quia hac tenus vidi, Belgas neque pacem colere, neque bellum gerere posse,
Deum Opt. Max. precor, ut his pacis spiritum omnibus largiatur, ut tandem
rebus bene compositis illi in veritate seruiant. Quid in Gallijs agatur, non
potest Excell.a tua ignorare. Vtinam Alanconij tutela siue patrocinium Bel-
gico felix et auspicatum sit. Nobis negotium facit Basiliensis episcopus, qui
foedere cum septem papisticis Cantonibus Heluetiorum inito nescio quid rerum molitur
ac parturit. Pollicetur illi suam operam Rom. Pontifex. Plus tamen periculi
toti Ecclesiae Germanicae imminere videtur ex Comitijs Norinbergicis, si Impera-
tor occasione, quam ei Pandorae siue libri Jacobandreani tutores offerunt, vti
sciat. Habebit enim optatam occasionem, qua Germanos Protestantes inter
se committat, quam Austriaci ~~et~~ Hispanizantes diu captarunt. Sed dissipabit
ut spero, consilia gentium Dominus, cuius consilium manet in aeternum.
Huius gratiae tuam Excell.am cum generosiss. coniuge et charis liberis commendo.
Datae Tiguri 23 Augusti. Anno nati Christi 1580.

Tuae Excell.ae

obseruantiss.

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Do:
mino, D. Ludovico Co:
miti in Vuitgenstein
Domino suo cum omni
observantia honorando.

p. helsima. 36. B. 80

+ 3.34

S. Quaerit Excell.a tua generosiss. Domine, quid de Belgarum instituto sentiam, qui Galli Re-
gis fratrem Alenconium accersere dicuntur, et eum suae libertatis vindicem et religionis
defensorem constituant. Ego verò non libenter me negotijs istis immisceo, ex quibus tot
regionum atque hominum pax aut exitium dependet, et de quibus plerique ex eventu
iudicant, qui interdum ijs etiam tristissimus accidit, qui causam iustam et bonam
sustinent, quae rationibus divinis et humanis defendi potest. Sunt enim iudicia Dei
semper quidem iusta, nobis autem saepe incognita, et plerumque alia nostra peccata me-
rentur, ut causam optimam Deus per nos defendi nolit. Verumtamen quia tuae Ex-
cell.ae fides atque pietas mihi probè perspecta est, et mei officij esse scio, ut ne quid
dissimulem apud eos, qui quid in causis ad publicam salutem pertinentibus fieri de-
beat, ex Dei verbo edoceri cupiunt, breviter et perspicuè quid de hac re sentiam, ex-
ponere statui. Scio Deum saepe suis periclitantibus opem ferre per impios homines et
apertos verae religionis hostes, et hoc in Apocalypsi eleganti typo adumbratur, quando
Apo. 12. flumen, quod draco ex faucibus suis eiaculatur, ut mulierem illo abripiat et de-
mergat, terra absorbet. Eo enim significatur, terrenis desiderijs et studijs addictos
saepenumero homines, et à religione vera alienos, Ecclesiam iuvare, dum tyrannos conatus
alijs de causis impediunt, ut vel ambitioni suae, aut vindictae cupiditati indulge-
ant. Et huc etiam referri potest, quod per Ishaiam Ecclesiae suae dicit Dominus:
Isa. 49. Pascam hostes tuos carnibus suis, et proprio sanguine seu musto inebriabuntur. i. il-
los inter se committam, ut instar canum aut luporum in rabiem acti, se mutuò la-
nient atque devorent, tuque omni periculo, quod ab ijs impendebat, libereris. Sic olim
Philistaei Davidem et huius socios ex Saulis manibus servarunt: [Sic Parthi Iulianum sustulerunt, qui christianis omnib. excidium moliebatur:] et nostro tempore
non semel factum vidimus, ut Hispani et Galli inter se commissi, utrinque Ecclesiae
quam devastare decreverant, pacem sive inducias dederint: et saepe Turcarum ministe-
rio ad hoc usus est Deus, quando hos armis eos occurrere oportuit, qui pijs bellum
meditabantur. Et quid mirum hoc fieri, cum Deus diaboli quoque opera suos servare,
et hostes ab horum cervicibus removere soleat: sicuti olim factum est, quando An-
gelus vastator totius Aegypti primogenitos occidit, et Pharaonem coegit filios Israë-
lis liberos dimittere. Et hoc quidem Deus rectè et iustè facit, utpote Dominus
exercituum, cui omnes creaturae suum obsequium debent. Ut verò pij, qui veri Dei
cultores dici et haberi volunt, ab impijs veri cultus osoribus et eiusdem hostib.
apertis opem petant, et huius causa cum illis foedera ineant, aut se illis servi-
liter submittant, id ~~malum~~ nefas et à verae fidei professione alienum esse sentio. Ete-
nim evidens diffidentiae hoc argumentum est, et animos fide vacuos arguit: neque
tales sui facti aliam causam praetexere possunt, quàm quòd de Dei vel ~~x~~ voluntate
et promissionib. vel potentia et viribus dubitant. Nisi enim tales essent, hoc uno
niterentur, neque extra hunc sibi alia salutis praesidia quaererent. Deinde pietati
quoque et bonis moribus foedera et pacta eiusmodi vehementer officiunt, imò ~~pau-~~
~~latim~~ quicquid fidei adhuc reliquum erat in cordibus, paulatim extinguunt, et tan-
dem manifestam pariunt à Deo defectionem. Ideo ne Israëlitae illa cum Chananaeis
Exo. 34. gentibus inirent, olim severiter prohibuit in Lege sua: et ne quis praeceptum istud
Deut. 7. ad eas modò gentes restringendum esse putaret, quas ipse exitio iam devoverat,
Isa. 30 et 31. postea Ezechiae Regis consiliarios acriter ab illo reprehensos esse scimus, quòd

foedere cum Aegyptijs et Aethyopibus facto, ab his auxilium contra Assyrios sperarent.
2 Paral. 25. Quid autem de his dicere attinet, quando Amasiam Regem Israëlitico milite uti prohi-
buit Deus, quem iam multa pecunia conduxerat? Si causam quaeramus, non alid
redditur à Propheta, quàm haec: Quia Dominus non est cum Israële: Non erat autem
cum Israële Dominus, quia idololatrae erant, et à vero Dei cultu iampridem recesse-
rant, licet interea illum Deum profiterentur, qui patres ex Aegypto eduxerat, et à quo
Legem acceperant per Mosis ministerium. Quòd si verò idololatrarum auxilijs uti, et
cum illis foederibus coniungi nefas est, multò gravius peccant, qui excusso Re-
gis idololatrae quidem, sed tamen legitimi, iugo, exterum tyrannum aeque idololatram
sibi accersunt, et ab eo defensionem veri cultus expectant, qui hunc domi suae
nunquam professus est, imò qui in Antichristi verba iuravit. Enimvero
qui sic agunt, vix possunt effugere, quin in suspicionem veniant, ipsos quicquid
agunt, non religionis verae studio, sed sui principis odio agere, neque liberta-
tem quaerere, sed tyrannum permutare, et ex servitio uno in aliud transire
velle. At quaerendus est (inquiunt) princeps aliquis, cuius potentia atque
vires Hispano opponi possint. Ubi nolim ego Alenconij et Hispani colla-
tionem instituere, ne ridiculus fiam, si de eius potentia et authoritate mul-
tis disseram, qui ne domi quidem suae turbas sedare, aut suae genti pacem
stabilem constituere potest. Quaero autem, num quem potentiorem inveni-
ri posse existiment Rege gloriae, Filio nimirum Dei Unigenito, cuius haereditas
sunt omnes gentes, cui omnis potestas data est in coelo et in terra, cui omnes
Angeli tam mali quàm boni serviunt, qui Regum corda manu sua tenet, et sibi
pertinaciter rebellantes virga ferrea coërcet? qui denique dixit: Ego vobiscum
sum usque in consummationem saeculi? Hic certè non deerit suis promissis, modò
nos non desimus nostro officio: nec videre possum, quae ratio nos movere de-
beat, ut huius promissis et opi diffidentes, aliquam fiduciam collocemus in
Rege extero, neque Davidem, qui et ipse Rex fuit, ex Spiritus S. suggestione
Psal. 146. nos admonentem audiamus: Ne fidite principibus, filijs hominum, in qui-
bus non est salus. Possem nostri saeculi exempla adducere, quibus nos abunde
docuit Deus, regnum Filij sui IESU CHRISTI non esse de hoc mundo, et
foederibus non promoveri neque servari; sed quia illa satis nota sunt, non opus
habent commemoratione. Utinam omnium cordibus inscripta esset nobilis illa
et salutaris Prophetae admonitio: In conversione et quiete servabimini, in silentio
Isa. 30. et spe erit robur vestrum. Hanc doctrinam ego nostris hominibus frequenter
inculco, et puto me rectius facere, quàm si foedera suadendo cum exteris prin-
cipibus meipsum et meae fidei creditos turbis quotidie novis intricarem.

Etenim ea nunc sunt tempora, ut nunquam non videamus, Christum non te-
mere, cum de novissimi saeculi moribus vaticinaretur, dixisse: Filius hominis
cum venerit, num repertururus est fidem in terra? Cautè igitur et circumspectè nobis
agendum est, ne eorum artibus et dolis circumveniamur, qui non aliud
quàm homines .i. non adhuc ex verbi Dei semine renati, et proinde menda-
ces sunt, et quicquid agunt, utilitate privata moliuntur. Conventus Coe-

saris et principum, qui Norinbergae indictus erat, in spongiam abijt, quod viri gra-
ves et prudentes magno totius Germaniae bono accidisse putant: et Caesaris vale-
tudinem ita afflictam esse audimus, ut de vita eius plerique non multum sperent.
Quod si hanc cum morte commutaret, rursus multorum consilia atque rationes tur-
barentur. Factum hoc etiam non absque singulari Dei beneficio in Helvetia nostra.
Nam Pontificij legati, Episcopi Vercellensis, opera res eo deductae fuerunt, ut
à bello civili non procul abesse videremur: Sed in Comitijs Badensibus, quae hisce
diebus frequentissima habita sunt, Deus nostrorum consilijs adfuit, ut nunquam
maiori cum consensione discessum sit, et Papistae nostri sancte polliciti sint
se nihil tentaturos, quod foederibus nostris aut paci publicae officiat. Precor
autem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut ubique gentium consilia im-
piorum dissipet, Ecclesias servet in pace, et tuam Excell.am custodiat cum
generosiss. coniuge et dilectis liberis ad sui nominis gloriam. Amen. Ti-
guri 2 Martij. Anno nati Christi 1581.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus.

18
De Vocatione Alemannij
in Belgiu, iuditiu G:

Illustri, generoso et ma:
gnifico Domino, Dno Lu:
douico Comiti in Vuit:
genstein &c: Domino suo
plurimum obseruando.

pst V i^a Aplis e 81

§ 35

+ Berlinburg.

S. Postremis literis Excell.a tua prudenter exponit rationes, quae Belgis fratribus omnia ferè
parta, quae ob religionem ~~[illegible]~~ fiunt, suspecta faciunt, et fateor multa incommoda his comim,
ta esse, quae saepe molestiam et difficultates magnas pijs pariunt: et eas nos quoque interdum
experimur. Sed meminisse oportet, in hoc seculo nobis perpetuo luctandum fore cum huius
mundi principe, neque Ecclesiam posse eiusmodi pacem sperare, quae omnibus turbis, con-
cussionibus et periculis finem imponat. In mundo afflictionem habebitis (inquit Dominus
noster) sed haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Et cavendum esse censeo,
ne calumniandi occasionem praebeamus adversarijs, si quam nobis concedi volumus reli-
gionis libertatem, nos ipsis negemus, et quidem in ijs locis, ubi non nostri iuris est
de omnibus pro nostro arbitrio statuere. Ego quidem velim papatum toto orbe eie-
ctum esse, et simul ex cordibus quoque omnium hominum extirpatum: et utinam nobis a-
liquando diem illum videre liceat. Sed hunc optare quidem licet, num verò sperari
possit, non video, cum legam Christum sibi reservavisse plenam de Antichristo victo-
riam, quem adventu suo glorioso abolebit. Et nos quoque stultorum magistra expe-
rientia docuit hactenus, Evangelij propagationem frustra armis tentari, et si id fiat
novas quotidie animorum exacerbationes oriri, quae cum minime putamus, erum-
punt, et quae iam optime constituta putabamus, funditus evertunt. Et mirum
mihi videtur, multos ex ijs ~~[illegible]~~, qui cives et vicinos Papistas ferre nolunt, ex
Gallijs Alenconium accersere, et patriae atque religionis libertatem vel defensionem
ex ijs sperare, qui sua crudelitate et perfidia patriam propriam toties tur-
barunt, imò potius tantum non everterunt. Utinam fidei constantia et pa-
tientia invicta pugnare disceremus, et nominis Christiani professionem morum
integritate et vitae innocentia adversarijs commendaremus. Id procul dubio maiori
cum profectu fieret, quàm dum plerique cum Aenea illo Virgiliano arma amen-
tes rapiunt, nec sat rationis in armis inveniunt, sed quaevis obvia arripiunt.
Scio apud Belgas eò usque res progressas esse, ut ferè intempestivus videri possit
omnis, qui de pace institutus sermo. Idem de Controversia Sacramentaria apud Ger-
manos dici potest, quam Iacobus Andreas cum suis coniuratis ita exacerbavit,
ut qui prius in uno articulo dissentiebant, nunc in nullo ferè consentiant. Vi-
det enim se existimationem suam, quam effraeni conviliandi et calumniandi libi-
dine in periculum adduxit, aliter ~~[illegible]~~ tueri non posse, quàm ut principibus suis,
quos ut Elymas Serg. Paulum fascinavit, persuadeat, nullum fidei articulum in
Ecclesijs nostris purum ac syncerum tradi. Orandus ergo erit Deus, ut hic
vulneribus istis, quae curando peiora fiunt, manum medicam adhibeat. Nostri
apud Argentinenses vicinos omnem lapidem moverunt, ut illic exorta dissidia
componerent: sed nequicquam. Nam qui huius anni Consul est, homo ebriosus
et spiritu vertiginis ubiquariae fascinatus nihil pensi habet, cathedras ferè
omnes occupant Stentores, qui tribunitijs concionibus populum excitant, frigi-
dam suffundunt principes quidam, qui Senatum urgent, ut Pandorae sub-
scribat. Quid de optimo sene D. Sturmio futurum sit, brevi audiemus. Tuae
autem Excell.ae et Illustri Comiti Nassovio gratulor ex animo, quod veritatis
doctrina in vestris terris, Deo semen eius foecundante, crescit et propagatur. Consumma-
bit haud dubiè opus suum Dominus. Vehementer autem metuo, ne infelix Ger-
mania brevi ingratitudinis suae et contumaciae graves poenas ~~p~~ luat. In Ita-

lia res magnas aliquos moliri, non est dubium. Sed Deus dissipabit consilia gentium.
Ego ex amicorum rogatu priorem partem homiliarum mearum in Evangelium sctm Matthae-
um hisce nundinis in lucem dedi. Eius exemplum à Roberto Camberio, qui Froscho-
veri nostri officinam iam tenet, Excell.a tua accipiet. Deus Opt. Max. Excell.tiam
tuam cum generosiss. coniuge et tota domo servet et [illegible] ad sui nominis
gloriam. D. Olevianum reverenter salutare cupio. Tiguri 29 Augusti. Anno
nati Christi 1581.

Tuae Excell.ae

observantiss.

Rodolphus Gualtherus

Generoso et Illustri Do:
mino, D. Ludovico Cose:
hen, Comiti in Vitgen:
stein etc: domino suo om:
ni reverentia honorando.

psh Hanau 18. 7b[ris] 81.

5. 36

+ Berliburg.

S. Utinam verò Excellentiae tuae filius, Generose et illustris Domine, Genevam profici-
scens per nos iter fecisset. Nobis enim non quicquam potuisset iucundius accidere
quàm eiusmodi videre hospitem, qui tuae virtutis imaginem vivam repraesentavis-
set, et simul occasionem dedisset nobis, aliquo officio testandi, quanta sit tuae Ex-
cellentiae apud nos authoritas, et quàm propensa illi gratificandi in nobis voluntas. Sed
scimus multa praeter opinionem evenire peregrinantibus, et eò patientius fe-
rimus quod hic accidit. Dabitur fortassis occasio, qua quod nunc intermissum
est sarciatur. Quoad verò meum de Belgicis rebus et externis auxilijs, quae illic
à plerisque quaeruntur, iudicium, gaudeo illud tuae Excell.ae non displicuisse, quam
scio in Deum potius et eius Verbum, quàm hominum rationes respicere. Piè
autem quereris de nostri saeculi moribus, et fatali illa socordia, quâ plerique
laborant, quorum erat maximè publicae salutis cura et studio teneri. In sua vi-
scera saeviunt potentissimi monarchae, Hispanus et Gallus, et uterque inte-
rea ~~Germa~~ aliena quoque spe sua tantummodo devorarit, hic nimirum Helvetia
nostram, ille Germaniam, ad quam sibi viam sternere satagit, dum Belgi-
cum sub iugum mittere conatur. Quae etiam est huius saeculi infelicitas, uterque apud
nos auxilia inveniunt, quibus nos in servitutem redigant, et Hispani qui-
dem furores Germani iuvant, Galli verò perfidiae toties iam patefactae
adhuc favet maior Helvetiorum pars. In Belgis verò ego prudentiam maiorem
desidero, qui cum ipsis cum Hispano res sit, quem sibi apertum hostem fe-
cerunt, ad Gallica auxilia confugiunt, quibus neque tutò fidere, neque
impensis, quae in gentem fastuosam et insolentem facienda erunt, satisface-
re poterunt. In primis autem principi Auraico metuo, in quo universi Belgici
spes et salus, quoad humana, sita est, ne is aliquando circumventus in Hi-
spani manus veniat. Nec mihi levi (ut arbitror) de causa Alenconij fides
suspecta est. Nam si seriò contra Hispanum aliquid tentaret, procul dubio
eius actionibus ~~offe~~ ita offenderetur Papa, qui illum Concilij sui Tridentini pro-
tectorem fecit, ut iram suam contra hunc aliquo graviori iudicio declararet,
quam hactenus fecerit. Gallicae fidei novum specimen Helvetij nuper viderunt.
Nam missi sunt undecim Cantonum legati ad Regem, qui stipendiorum et pecu-
niae creditae solutionem seriò peterent. Excepti sunt honorificè, et proprio
ore Rex promisit, se ad proximum pascha legatos suos in Helvetiam missurum,
qui de foederis instauratione cum Helvetijs agant, et simul sexcenta millia
coronatorum in praesenti pecunia secum deferant, et rogavit, ut dilationem
adhuc aliquam patienter ferant, donec quod reliquum est, possit dissolvere.
Acquieverunt legati, postularunt autem, ut scripto regio hac confirmarentur,
quod domi possent suis civibus ostendere. Id verò cum Regis nomine illis
daretur, quingenta tantum millia coronatorum illo promitti viderunt: Quod
cum indignissimè ferrent, et Regem de sexcentis millibus locutum esse
contenderent, responsum est, Regem lingua lapsum esse, et pro quingentis
sexcenta nominasse. Ita ~~A~~ linguae regiae lapsus Caribus illis δωροφάγοις
centum millibus Coronatorum constitit, et ~~ped~~ pluris adhuc constabit.
Nam non crediderim illum huic ex promisso satisfacturum esse. Cum verò ista
amicis fiant, quorum auxilijs hucusque fidelissimis usus est Rex, quid Belgae
sperabunt, qui et Carolo V et hoc Philippo regnantibus, bella cum Gallis

multa et gravia gesserunt. Fateor autem, miseros necessitate urgeri ad consilia eius-
modi capessenda, et precor Dominum, ut eorum eventum hic dirigat ad sui nominis
gloriam et patriae communis salutem. Etenim quantum ego iudicare possum, vix multam si-
net sibi factam in Belgico iniuriam Hispanus, et consolationem aliquam mererentur
factum Belgarum, si pro libertate sua recuperanda aut tuenda pugnarent. At cum
tyrannum eorum sibi accersant, quem neque religio, neque iustitia, neque morum sancti-
tas magis quam illum commendat, nescio quid possint praetexere, si infelicius ipsis
res succedant. Ex vicina Italia audimus 12000 militum Mediolani colligi, et
totidem in Pontificis terris, et aliquos et in Neapolitano regno, quibus 12000 Ger-
manorum accedere debeant, qui omnes in Belgium ducendi sint. Et nos ex diversis
locis admonemur, ut nobis caveamus, ne in transitu isti aliquid contra nos ten-
tent. Nec omnino vanas putamus admonitiones istas. Nam Basiliensis episcopus,
homo imprudens et confidens, multa molitur in suo episcopatu, et foedus cum septem
Cantonibus Helvetiorum papisticis fecit, ut omnino turbas daturus putetur. Sed dum
aliis foveam fodit, ipse in eam decidet. Nuper Comitia Helvetiorum praeter morem
indicta fuerunt ex eorum sententia, qui legatos in Galliam miserunt: sed ubi eo
ventum est, nihil illi proposuerunt, quod operae pretium videri posset: Unde non
absque causa suspicamur, anguem aliquem sub herba latere, qui nunc prodire
non ausus fuerit. Tigurini mei et Schafhusiani legationi Gallicae noluerunt
se adiungere: quod si Bernenses quoque et Basilienses abstinuissent, fortassis
consultius fecissent: sed ita in fatis est, ut Josaphat interdum ~~At~~ Achabo grati-
ficetur, sed non sine suo periculo. Et video undique pericula multa et gravia immi-
nere, quae (ut tua Excell.tia scribit) qui prudentiae laudem sibi vendicant, securi
et otiosi spectant: quorum consilium ego non possem prorsus damnare, si
Dei Verbo niterentur, qui olim Iudaeis, cum eadem fere tempora essent, dice-
bat: In conversione et quiete servabimini, in silentio et spe erit robur vestrum.
At cum conversionem ad Deum nusquam videam, metuo ~~[illegible]~~ ne silentium no-
strum ei simile sit, quod olim Amyclas perdidit. Et quia in politicis, quae huius
saeculi filii, et in primis viri principes serio tractare solent, tanta sit securitas,
non mirum videri nobis debet, si maior regnet in Ecclesiasticis negotiis,
quae religionem spectant. Jacobum Andreae audieramus novas turbas me-
ditari, sed aliquot mensibus altum fuit de illo silentium, tandem incerto ru-
more sparsum fuit, illum letaliter decumbere, et mox sequebantur, qui mor-
tuum dicerent. Sed cum nihil horum certis literis confirmetur, ego potius
illum alicubi in Vulcani fabrica delitescere puto, ut novas machinationes et
tela fabricet, quibus Ecclesias Germanicas in extremum exitium pertra-
hat. Laudo illorum studium, qui consultant, quomodo paci Ecclesiarum con-
suli possit. Neque omni ratione carent, qui Synodum requirunt, cum hac supe-
rioribus saeculis ratio unica fuerit, controversias doctrinae et religionis componen-
di. Sed num ea nostris temporibus serviat, non satis videre possum. Etenim
nisi principis alicuius potentis authoritate Synodi regantur, et doctorum sive mi-
nistrorum contentiones coerceantur, frustra convenitur. Nicaenae ~~[illegible]~~ olim opus fuit Con-
stantino, qui eorum libellos de privatis inter se controversiis conscriptos flammis tra-
didit, et eorundem affectus moderatus est. Et nisi in Constantinopolitana Sy-
nodo Theodosius I. in Ephesina Theodosius II praesedisset, credibile est, maiora
dissensionum incendia exoritura fuisse. In primis at nostris temporibus servit
Chalcedonensis Synodi historia, quam Martianus Imperator indixit, ut Euty-

chetis haeresim (quam nostro seculo ab inferis à Brentio revocatam Jacobus Andreae in Germania propagavit) res sequeretur: et magno quidem studio effecit, ut post longa certamina decretum fieret, in quo omnes testati sunt, se amplecti Nicenae Synodi Symbolum, et simul Nestorij et Eutychetis dogmata damnata sunt. At licet multis profuit Marciani labor, dissidia tamen non extinguere potuit, cum Eudoxia Theodosij vidua Eutychianae factionis reliquias foveret, et Basiliscus contra Zenonem Imperatorem seditione ~~excitata~~ mota, ut se Episcoporum favore muniret, publico edicto Chalcedonensis Synodi decretum damnaret, cuius edicto ~~Epi~~ Episcopi plures quingentis subscripserunt. Haec cum olim facta sint, quando Ecclesia Imperatores et principes habuit literatos et piè institutos, et recentior fuit memoria orthodoxorum Patrum, qui doctrinam puriorem sanguine suo obsignarunt: quid hodie sperabimus, quando Imperator verae fidei hostis est, principes plerique literas ignorant, et qui optimi videntur, stolida Lutheri admiratione fascinati temere damnant omnes, quos vel in minima re ab illo dissentire suspicantur, et non una Eudoxia in aulis passim dominatur, cuius favorem et patrocinium Theologi aulici venantur, adeò ut multis in locis γυναικοκρατεια non in Repub. modò, sed Ecclesia quoque locum obtineat.^ Itaque si cum illis hominibus ~~et~~ congrediendum sit, quis ingeniorum ambitiosorum rabiem placabit,^ quis temerarias Theologorum aulicorum, quos suorum principum favor insolentes^ facit, temerarias condemnationes coercebit.^ Aut igitur his aliquid concedendum erit, quod in praeiudicium veritatis cedet, et ex quo illi deinceps calumniandi occasionem arripient: aut infecta re discedetur, et animorum offensiones acriores erunt, quam antea fuerint. Cuius fuit D. Buceri labor, qui concordiam inter nos et Lutherum conciliare voluit, et se ad phrases obscuriores sponte demisit, ut illius ingenio se accomodaret. Sed quid inde aliud secutum est, quam quod in superioris Germaniae Ecclesias viam aperuit Lutheranis doctoribus, qui puriorem doctrinam inde eiecerunt, et in suam Argentinam Marpachum induxit, qui ab ipso piè instituta evertit, et successores sibi paravit, qui quod ab ipso intactum mansit, adhuc dissipare student. Et quis sperare poterit, Electores principes qui Jacobandreanae Concordiae subscripserunt, aequos in Synodo controversiae iudices fore, ut sibiipsis cauterium adhibeant, et quod tanta contentione receperunt, nunc sponte abiiciant, aut meliora doceri velint. Haec olim optimum et doctiss. virum D. Bullingerum moverunt, ut ab eiusmodi conventibus libenter abstinuerit: quamvis inter eius schedas nihil accuratius hac de re scriptum adhuc reperierim. Si quid tamen in Synodo agi debeat, quod Ecclesiarum paci serviat, à principibus initium fiat oportet, ut his purgatis auribus et sepositis affectibus prioribus tanquam novi discipuli veniant ~~ad Sy~~ et cum Propheta audiant, quid in ipsis loquatur Dominus. Interea singuli qui aliquid in Ecclesias ius habent, de piis ministris prospiciant suae fidei creditis, et domi suae res sanctè constituant, et Deum precentur, ut incrementum det. Video me aequo verbosiorem fuisse, sed condonabit mihi hanc audaciam Excell.^a tua, et me huius fiducia liberius et apertius omnia scribere cogitet. Deus Opt. Max. principum et theo-

[left margin, beside "fascinati temere damnant omnes":] //

[left margin:] ^ et prorsus intolerabiles ^

[left margin:] ^ in suis terris maledicentiam Theologorum coherceant, neque aliarum Ecclesiarum ministros temere damnent: deinde (: si placeat Synodum cogi :) ad hanc

logere spiritus atque consilia dirigat, et tuam Excell.tiam cum generosa coniuge et di-lectis liberis perpetuo servet. Amen. Tiguri 24 Martij. Anno nati in carne aeterni Filij Dei 1582.

Tuae Excell.ae

observantissimus

Rodolphus Gualtherus.

Generoso et illus.tri do-
mino, D. Ludovico Co-
miti in Vuitgenstein
domino suo semper omni
reverentia honorando.

Epist. 19 [illegible]
82

Berleburg.

5 · 37

Gratas et iucundas Excellentiae tuae, Illustris et generose Domine, fuisse meas in priora
Matthaei Capita homilias, non temere gaudeo, cum te Veritatis doctrinae non solum se-
riò fauere, verumetiam in illa eò vsque profecisse sciam, vt de lucubrationibus istiusmo-
di iudicare possis. Pergo igitur in coepto opere, et iam ad Caput XXII.um vsque pro-
gressus sum: tardius autem procedo, quia simul etiam in Esaia versor, cuius Sermo-
nes in concionibus, quae ad publicas preces habentur, explico: et quia in illis iam
Caput penultimum attigi, Typographus noster opus illud proxima hyeme prelo man-
dare decreuit: quod vt cum Ecclesiae commodo aliquo fiat, Deum Opt. Max. precor,
et vt is vires det, vt quod reliquum est vitae tempus in eius seruitio non inutili-
ter transigam. Enimuero sentio viribus multum decedere. Exegi ferè annum cly-
mactericum, quem propter innumera accidentia et continuos ferè capitis dolores,
qui me fatigant, molestissimum expertus sum. Augent has curae, quas nostri saeculi
turbae et pericula pariunt, quae vbique terrarum quotidie noua surgunt. Et iam intra
nostrae etiam Helvetiae fines bellum accendi coepit authore Sabaudo Roboamo, iuue-
ne et confidente principe, qui Pontificijs et Hispanicis artibus atque promissis circum-
uentus consilium de Geneua per proditionem intercipienda cepit, ~~deinde~~ et quia
id non successit, ad vim apertam conuersus, Hispanorum et Italorum copias, qui in
Belgicum tendebant, ad Geneuensium et Bernensium fines adduxit. Admone-
mur à multis, vt nobis caueamus: Non enim tam Geneuensium quam nostram
causam agi, et inprimis hoc quaeri, vt Bernatum, quorum maxima est inter Hel-
uetios potentia, vires labefactentur, et ita facilior ad alios sit aditus. Quamuis
autem nemini cordato et prudenti dubium esse possit, Austriacos, veteres Helvetiae
nostrae hostes, hac occasione suam fabulam agere, non tamen omnes, vt par erat
mouentur: et tanta est Papistarum nostrorum vecordia, vt Austriacos sibi amicos esse
existiment, Hispanorum verò Regem sub Catholici nomine tantumnon adorent,
eò quòd hunc Tridentini Concilij executorem Papa constituerit. Itaque ipsi quoque
cum Sabaudo coniurarunt, et ad hunc quinque militum vexilla miserunt, qui
alpibus superatis per longa itinera in Pedemontium transierunt, et inde ad lacum
vsque Geneuensem progressi sunt. Et licet hucusque vrbs neque obsidione cincta
neque vi oppugnata sit, nihil tamen omissum est eorum, quae quis hostium ani-
mus et conatus sit, docere possunt. Gallus per legatos se amicum et socium pro-
fitetur, et ante annos aliquot Geneuam in suam tutelam recepit: at de illius fide
non absque causa plerique dubitant. Legati illius seriò rem agere videntur, sed dum
causam extrahunt, interea ciues vigilijs et excubijs agendis fatigantur, ciuitas
annona exhauritur, aerarium minuitur, et periculum est, ne multis tandem
animi deficiant, qui hactenus per Domini gratiam alacres et concordes fuerunt.
Interea incommodum hoc nobis magnum beneficium praestitit. Nam Euangelicae
ciuitates in Helvetia arctissimè inter se coaluerunt, et quae prius remissiores erant
quòd Geneuam nihil ad se pertinere putarent, viso communi periculo et perspe-
cta Papistarum perfidia, oculos aperire et de communi salute seriò cogitare coepe-
runt. Imò nobis accesserunt ex Pontificijs aliqui, quod alios pessimè habet. Itaque
in Geneuae defensionem consenserunt Tigurini, Bernenses, Basilienses, Scaffhusia-
ni, Solodorenses, et praesidium iam decretum et vt illuc mitteretur, in procinctu
erat: sed legatorum Gallorum intercessione factum est, vt de pace coeptum sit agi: et iam
missi sunt legati ex nostris et Sabaudi Ducis primoribus, qui milites vtrinque
ex castris deducant, vt positis armis turbae istae componantur. Et sane in acie

nouaculæ, quod aiunt, res constituta fuit. Nam constat nobis, in Augustanis Comitijs o-
mnium oculos in Heluetiam intentos fuisse, ut si bellum ciuile inter nos oriretur, venirent
qui sub auxiliorum prætextu nos oppressos sub iugum mitterent. Nec procul à bello ciuili
abfuimus. Nam si nostri quoque, ut Pontificij, consilia sua præcipitassent, iam aperta fuis-
set bello ianua. Sed dum nostri præsidium, de quo dixi, paratum habent, simul verò
copias maiores ad iustum bellum instruunt, adhæc Valesiani, quorum vallis supra la-
cum Genevensem longe lateque ad Sabaudi fines extenditur, præter omnem Papistarum ex-
pectationem Bernatibus auxilia pollicentur, Rheti verò ſ iniuriarum, quas à Papisticis
ſ veterum quinque Heluetiorum Cantonibus sæpe passi sunt, è contra autem beneficiorum, quæ à Tigu-
rinis multa olim et non ita pridem in pace et bello acceperunt, probè memores,
duodecim millium delectum faciunt, qui ad omnem euentum parati nobis subsidio
veniant, quàm primum à nostris euocentur, videre ceperunt aduersarij, qui cum Sa-
bando coniurauerant, se rem aggressos esse viribus suis maiorem, quæ non tam faci-
lè, quàm putabant, ad finem perduci possit. Itaque animi ipsorum refrixerunt, ut
iam princeps ipse honestum ab armis discessum quærere videatur. Non tamen
ideo securi sumus Ludouice Comes illustris et generose, cum sciamus pacem nul-
lam esse impijs, teste Propheta, neque proditionum finem esse apud eos, qui Chri-
sti et euangelij odium animis conceperunt. Nam quod olim Lucanus de grega-
^ paucis verbis muta-
tis et additis ^ rijs militibus dixit, nos multò verius in eos, qui Antichristo militant dici posse
credimus: Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur Pontificum, manet his
quippe alta mente repostum Iudicium Christi spretique iniuria Papæ. Experta-
mus ergo adhuc quid isti moliantur. Interea tria millia Heluetiorum in Belgicum
abijsse, procul dubio iam audiuit Excellentia tua. Obstiterunt summis viribus Ponti-
ficij, ne fieret, et detectæ sunt cogitationes ex multorum cordibus. Nam palàm Hi-
spanizare vidimus multos, qui prius auro Gallico diuites facti, Alenzonij lega-
tis de suo studio et fauore liberalissimè promiserant. Aiunt nunc de nouo subsi-
dio illis submittendo mussitari. Vehementer illi genti metuo, quæ suis consilijs
in eas angustias sese adduxit, ut eam vel ab Hispanis vel à Gallis expilari et
totam opprimi oporteat. Rex Galliæ magnis itineribus nuper Lugdunum venisse
dicitur: Causa huius subiti aduentus à plerisque ignoratur, multis autem suspecta est.
Timebamus ne Augustæ in Comitijs causam Vbiquitariam publica Imperij autho-
ritate propugnare conaretur Saxo Elector: Sed nihil huius tentatum audimus, ita
mirificè moderante principum animos Deo. Nunc illos simul omnes subitò Augusta
discessisse fertur, relicto illic Imperatore, qui fremat et minas spiret aduersus
Euangelij doctrinam. Ut verò ad Heluetiam nostram reuertar, Episcopus Ba-
siliensis fructus iam metit fœderis sui, quod cum Cantonibus Papisticis nulla
de necessaria causa ferit. Nam dum nobis turbas dare voluit, seipsum periculis
obiecit, quæ illi nullum etiam domi suæ locum tutum esse sinunt. Itaque ut ty-
ranni prophani solent, sclopetariorum satellitum præsidio utitur. Nuper verò Hu-
genothi Galli octingenti cum ducentis equitibus à Nauarreno missi, ut Gene-
uæ subuenirent, Bruntrutum, quod præcipuum Epi illius oppidum est, appu-
lerunt, et aliquos eius pagos diripuerunt: et vix ab illis sese extricabit, nisi grauius
aliquod malum det. Sed de his et alijs similibus, quæ illic aguntur, Excellentia tua
plura et certiora cognoscere poterit ex filio, quem cum multis alijs propter pestis pericu-
lum Basilea discedere instituisse audio. Dolet mihi non aliquam de illo bene me-

vendi occasionem nobis oblatam esse. Precor autem Deum Patrem miserationum, ut illius studijs benedicat, et tuam Excell.tiam illustris et generose Domine cum nobilissima coniuge et tota familia clementer servet ad sui nominis gloriam. Tiguri 28 Augusti. Anno nati Christi 1582. Cum obsignare vellem literas, redduntur mihi D. Bezae literae, qui Sabaudi milites incensis castris festinanter recessisse, et urbem obsidione liberatam esse scribit. Spes est, principem istum non facile tale quid tentaturum posthac. Vidit enim Genevensib. plures amicos esse, quam putarat. Prope adfuit Admiralij filius cum equitibus trecentis et 40 vexillis peditum sclopetariorum. Aliunde et plures alij adventarunt. Benedictum sit nomen Domini exercituum Q.

Dum ista scribo venit Basilea studiosus Tigurinus, qui Filium Excell.tiae tuae cum praeceptore et cognato suo intra octiduum adventurum nunciat, et me rogare, ut de hospitio illis prospiciam. Dabo operam ne quid eis desit.

Tuae Excell.tiae

observantiss.mus

Rodolphus Gualtherus

Illustri et generoso domino,
D. Ludovico à Seijn, Comiti
in Vuitgenstein &c: domino
suo cum omni reverentia
honorando.

R. 19. 7bris 82

+

5. 38.

S. Nisi de nouissimorum temporum moribus et Ecclesiae suae periculis nos tam diligenter praemo-
nuisset Dominus noster Jesus Christus, non possemus non grauiter offendi ijs, quae
quotidie experimur. Sed cum inter ea nihil nouum aut insolens accidat Ludo-
uice Comes generose et Illustris, nos in fide confirmari decet, quando tam il-
lustria aduntur exempla, ex quibus Dei fidem et inuictam potentiam agno-
scere possumus. De Alenconio meliora sperare non potui, quam quae modo apud
Belgas designauit. Memini enim legatum eius, quem ad nos misit annis
superioribus, cum primum ex aula fratris secessionem fecisset, ~~et~~ hoc de illo
narrasse, illum de matris perfidia solere conqueri, eo quod neminem fore
arbitretur, qui ex stirpe tam improba prolem bonam enasci potuisse credat.
Praedicabat quidem eius virtutes legatus ille, sed ego iam tum cogitabam, illum
fraudis et sceleris animo concepti sibi conscium istas voces emittere. Et quia
Angliae metuebam ab illo, amicos saepe monui, ut sibi cauerent: quid
autem de Belgarum instituto senserim et scripserim, Excell^tiam^ tuam ad-
huc meminisse arbitror. Veruntamen nunquam tam improuidos putassem
fidei nostrae hostes, qui in Gallijs dominantur, ut rebus suis nondum con-
stitutis tantum facinus auderent. Sed procul dubio Deus, qui astutos
capit in sua astutia, illos excaecauit, ut consilia sua diutius dissimulare
non potuerint, sed praecipiti et confidenti furore abrepti seipsos prodiderint.
Mihi certe res multas ob causas suspecta fuit, et suspicionem auxit Regis
importunum consilium, qui in maxima rei pecuniariae angustia consilu-
bus per legatos suos in Heluetia magna contentione et immodicis largitio-
nibus foederis Heluetici instaurationem urgebat. ~~[illegible]~~ Et quia videbam
hoc agi, ut Tigurini quoque et Bernenses, qui hactenus libertatem suam con-
stanter defenderant, in societatem pertraherentur, et mecum priuatim de eo
agerent legati regij, ego quid sentirem libere illis exposui: et quia ex no-
stris audiebam esse aliquos, quibus inconueniens videbatur, si nos soli foe-
dus illud detrectaremus, in quod Cantones reliqui omnes una cum
Bernensibus consensissent, et pax Ecclesiarum in Gallijs praetexeretur, quibus
hac ratione consuli posset, causam hanc, quae mihi cum periculo nostrae
Ecclesiae et libertatis coniuncta videbatur, ut reuera erat, publice pro
concionibus sacris agere coepi, multis quidem contra frementibus, apud
quos inuidiam et odium mihi comparaui, at benedixit ministerio meo
Dominus, ut praeter omnium expectationem Veritas vinceret, et qui Galli-
cas partes tuebantur, etsi numero superiores se fore putarent, non ausi
sint causam suam agere in Senatu, etsi inter pocula de illa multis
et fere cum vulgi applausu garrirent. Interea causa Geneuensis apud
nos triumphabat, quae eo usque deducta est, ut sperem, Sabaudum, etsi
tergiuersari non desinat, non facile tamen aliquid violenter posthac tenta-
turum esse. Accidit etiam opportune admodum quod nos vehementer ad-
iuuit. Cum enim propter causam siue ~~[illegible]~~ litem, quae nostris cum Con-
stantiensi Canonicorum Capitulo (ut vocant) est, Bernenses legati apud nos
essent, et per occasionem foedus illud Gallicum, cui sese nimis inconsulto
intricarunt, ita excusarent in frequenti Senatu, ut omnes, qui pro no-
strae gentis ingenio et more ad militiam mercenariam aspirant, cri-
stas demum attollerent, ecce rumor obscurus de Alenconij scelerata perfi-
dia et proditoria Antuerpiae et Belgici totius oppressione per Gallos in-

stituta spargitur, mox idem literis quoque Antuerpia missis per mercatores
confirmatur, quae simul infelicem Gallorum et cladem et Helvetiorum quoque
multorum interitum continebant. Itaque Consul Bernensis, qui adhuc apud
nos erat, Gallicarum partium studiosissimus, vehementer animo perculsus est,
nostrorum ac hominum animi adversus Gallos exasperati me laudare
et amare, atque Deo gratias agere, qui Rempub. nostram servasset, ne
insidiosi foederis societate implicata in libertatis periculum incidisset. Nec
dubito apud Bernenses, apud quos non sine contentione Gallica factio
~~vix~~ vicit, nunc serio consultari de ratione, qua sese liberent. Nam non
obscure mussitatur, in Gallijs quoque novum consilium de Ecclesijs opprimen-
dis in procinctu fuisse, si Galli apud Belgas vicissent. Ut ergo illic Alenso-
nius suae perfidiae poenas dedit, ita eiusdem opera Deus apud nos usus est,
ut multi nunc rectius sapiant, quam quos Galli simulata amicitia fere in-
escarant. Utinam vero Belgae vel nunc sapiant, et Deo fidere discant, qui tam
evidentibus indicijs manum vindicem iam bis exeruit: primum privatim
in servando Aurario, nunc ac publice, dum civitates praecipuas adver-
sus latrones immanissimos tutatus est. Apud nos in vicinia Papistae mitius
agunt, et nuper Roma scribebatur, Papam mense Januario in Cardina-
lium Consistorio protestatum esse, se rebus in Germania afflictiss. consulere
non posse, cum videat omnia in deterius ruere: Se ergo posthac rem Deo
commendare velle, et apud hunc precibus, ieiunijs et eleemosynis contendere,
ut ipse manum medicam istis vulneribus adhibeat. Expectant plerique
quem eventum habitura sit Coloniensis Archiepi causa, quam tuae Excell.tiae
inprimis cordi esse, non dubito. Est illa magni momenti propter exem-
plum. Nam si ille vincat, et quod pie coepit, ad finem optatum perdu-
cat, non deerunt, qui eius vestigia sequantur. Non ignorant hoc Pontificij
eoque magis fremunt. At eo ardentius nostros quoque apud Deum precibus
instare decet, ut Deus pia coepta secundet. Schola Genevensis rursus colli-
gitur. Ex nostris tres adolescentes patritij illuc missi sunt, quos D. Bezae
commendavi, eo quod mihi propinqua cognatione et affinitate iuncti sunt.
Scripsit ad me hisce diebus filius Excell.tiae tuae Georgius, et eius praeceptor
D. Paulus. Valent, et de filij profectu in literis indicare possum ex scriptio-
ne. Rogarat me hinc discedens D. Paulus, ut Excell.tiae tuae scriberem
de consilio profectionis eorum: sed pestis, quae Basileae, Argentinae et ad Rhe-
num fere passim saevijt, aut saltem velitata est, omnem scribendi et literas
mittendi occasionem nobis abstulit. Fuit nobis iucundissima filij et nepotis
tui atque praeceptoris ipsorum D. Pauli conversatio. Ita enim vixerunt, ut mode-
stiae et pietatis laudem meruerint apud omnes cives. Et dignus est D. Pau-
lus, cuius rationem habeat Excell.a tua. Nam video illum cum eruditione
singulari syncerum quoque pietatis studium coniunxisse. Dedi mercatoribus
nostris librum mearum homiliarum in Isaiam, qui nunc typis apud nos ex-
cusus in lucem prodijt. Eum apud Robertum Camberium, qui Froschoveri
nostri officinam Francofurti tenet, tui invenient. Vel illum Robertus ad
Excell.am tuam perferri curabit. Haec habui quae nunc scriberem. Expe-
ctamus quid Sabaudus instituat, qui per omnia avum imitari videtur
fortassis illo et non felicior futurus. Alios illi addere videntur Saxo et Bavari-

deburgicus Electores, qui ad Helvetios literis scriptis causam eius illis commendarunt: q[uam] prudenter verò id fecerint, alij iudicent. Multis ergo Ubiquistica Alchymia Schmidlinae fabrica favor istis prodire videtur. Deum Opt. Max. rogo, ut adversariorum consilia passim dissipet, Ecclesias servet, et tuam Ex; cell.am cum tota domo servet. Dno Oleviano salutem precor. Vale.

Tiguri Cal. Martij Anno 1583 secundum veterem et receptum Ecclesiae calendarium: Novum et Gregorianum Romae relinquimus adsue.

Tuae Excell.tiae

observantiss.us

Rodolphus Gualtherus.

Illustri et generoso Domino,
Dno Ludovico Comiti in
Vuitgenstein, domino
suo clementissimo et
summe honorando.

pSt. B. 2. Martii 83

3.39

Berliburg.

S. Agnoscimus Dn̄i Pauli Crocij candorem, qui quae filio et nepoti tuo praestitimus officia tantopere
praedicat. Nos certè de nobis nihil praedicare possumus praeter voluntatem, quae sanè nobis ad
illos adiuuandum propensa fuit, etiamsi vires non semper illi responderint. Ex quo Geneua
discesserunt, nihil de illis audiuimus, Speramus autem illos bene valere et Deo propitio vti
qui sui timentes non deserit, quò minus illorum studijs et actionibus benedicat. Interim non
possumus non vbique locorum timere bonis et pijs Dei cultoribus propter effraenem, quae passim
regnat morum licentiam et impietatem. Ea enim est rerum conditio, vt cum impunè quiduis
liceat, solis pijs non licet Deo cultum debitum praestare, et pietatis nomine commendantur,
qui sub religionis praetextu iura omnia diuina et humana conturbant et euertunt.
Detestabilis fuit in Belgico Alenconij perfidia: at non multo magis excusari potest Bel-
garum lenitas, qui toties icti adhuc quid facere ipsos oporteat dubitant. Hispanus hostis
est apertus, Gallus proditor. Quid ergo aliud fiat, quam vt aduersus hostem acerrimè
pugnetur, proditor autem quam diligentissimè caueatur. Sed in vtroque illos deficere video. Nec enim
satis cauti sunt in cauendis insidijs, neque satis animosi aduersus apertos patriae hostes. Post
tentatam ab Alenconio Antuerpiae expugnationem adhuc cum eo pacisci libuit: et hic sedem
sibi delegit Dunkerkam, ciuitatem Flandriae portu et situ instructissimam, qua vix alia
ad Calesium defendendum commodior erat, in quo illi praecipuum praesidium aduersus An-
glos situm esse arbitrantur. Nunc Dunkerka et turpiter relicta in Galliam se
recessisse dicitur Alenconius, et nuper in Fera Picardiae oppido agere scribebatur Lutetia.
Vnde ego colligo, illum Belgici causam nunquam seriò egisse, et ne sibiipsi quidem fideles
vnquam fuisse Gallos. Nec fallimur opinor suis coniecturis, qui auspice Romano Anti-
christo Hispanum cum Gallo et Sabaudo et nostris Cantonibus conspirasse su-
spicantur. Sed videtur ratum fore quod vulgo dicitur, Malum consilium consultori pessimum.
Nec enim mihiipsi persuadere possum, Hispanum vnquam fidem habiturum Gallo, qui fi-
dem suam ~~[illegible]~~ toties prostituit, vt nemo nisi mente captus illi credere possit. Enim-
uero dum haec scribo, Dn̄us Beza ad me literas dedit, quibus significatur, partem Gal-
licam nunquam magis mutauisse, prodentibus sese pessimis perditissimorumque hominum con-
silijs. Nec desunt, qui non obscurè mussitant, constituisse regem, Inquisitionem Hispa-
nicam in ~~Regnum~~ suum inuehere. At qui alijs cordatiores sunt, hoc vix à papisti-
cissimis impetrari posse existimant. Lugdunum certè venit Rex, ex quo plerique
nihil boni ominantur. Et conuentum ad Calendas Octobris cogere instituit Lutetiae
doctorum hominum, in quo se de rebus magnis consultare velle pollicetur, et ad
quem inuitantur Nauarrenus et Condensis quoque, quo tamen nemo venturos
credit. Ad Nauarrenum remittitur vxor, quae nisi Dominus auertat ipsi scandalum
pariat. Sabaudus cunctatorem agit in causa Geneuensi, dum rem extrahit, nec vult
eam cognosci, vt iure decerni possit. Interim ciues excubijs fatigantur et sumptibus exhau-
riuntur. Dies comitiorum ab Heluetijs dictus est Calendis Nouembris: Quòd si ad hunc
non appareant illius legati vix bona cum pace res transigetur. At maioris momenti
res est Coloniensis controuersia, quae eò iam deuenit, vt vniuersae Germaniae pax atque
salus ab ea pendere videatur. Nam si causa caderet Truksessius Elector, et inferior fiat
Casimirus princeps, ita stabilire conabitur potentiam suam in Germania Antichristus,
vt nulla remaneat nobis libertatis recuperandae spes. At non omnibus haec causa
cordi est, qui dum ipsis bene sit, publicam pacem facilè negligunt. Nihil nunc de illis
dicam, qui se saluos fore sperant, si nos opprimamur, quasi tota Antichristi rabies
Zuinglianorum et Caluinistarum sanguine placari possit. Sed vehementer illi errant.
Irritatur enim lupi sanguine non satiantur, et innocentum suorum cultorumque miserijs Dei ira

accenditur. Et quia publicum est hoc incendium, quod passim omnibus interitum minatur, communibus auxilijs opus erat. Intelligunt rem optimi quique: sed vincunt numero, quos privatae cupiditates excaecarunt, ut nec possint nec velint videre, quae necessitas requirit. Quid ergo aliud fiat, quam ut in verum Deum respiciamus, qui Ecclesiam suam non sinet huius mundi fluctibus obrui, et facilè vindices inveniet, qui oves suas in medio luporum ~~[illegible]~~ defendant. Qui in istis partis spem ponunt, sentient procul dubio quam imprudenter agant, dum in communi patriae oppressione sibi salutem privatam pollicentur. Atqui ea dementia non solum Belgas et Germanos, verumetiam Helvetios nostros seducit, ex quibus qui papisticas superstitiones adhuc mordicus retinent, Austriacos principes suspiciunt, et cum his Romanos pontifices, quorum legatos à latere venerantur, et quam Filius Dei ipsis offert libertatem iis subijciunt, qui patriae communi semper fatales fuerunt. Est haec extrema mundi senecta, et hi fatales illi morbi sunt, qui hunc ad finem suum deducent, qui non poterit non laetus esse iis, qui adventum Domini fide constanti expectant.

Haec scribo Ludovice Comes Illustris et generose inter graves capitis dolores qui hoc quatriduo me fatigant, et Excell.am tuam rogo, ut scriptioni tumultuariae ignoscat. Deum verò Opt. Max. ex toto corde precor, ut motus istos ipse componat, et malum istud, quod toti Germaniae videtur extrema minari, clementer avertat, neque nobis sui gloriam propter peccata nostra periclitari sinat. Tuam verò Excell.tiam servet cum generosa coniuge et universa familia. Tiguri 27 Augusti. Anno Christi nati M.D.LXXXIII.

Tuae Excell.tiae observantissimus

Rodolphus Gualtherus

Illustri ac generoso Do:
mino, D. Ludovico à
Sehen, Comiti in Vit:
genstein, Dño in Hom:
berg &c. Dño suo hono:
rando.

Ludouicus Comes Witgenstenius, Rod:
Gualthero S. in Dno.

Iam annus est doctiss: Gualthere, cum de re Sacramentaria ~~commentariorum~~ boni cuiusdam viri commentarium tibi inspiciendum mitterem: qui etsi non admodum a vobis dissentire, nescio quid tamen in Zuinglij doctrina desiderare videbatur. Ad hac copioso elegantique scripto respondes, ac scriptoris sic probas sententiam ut Zuinglium interim ab adversariorum reprehensione vindices.

+ ~~tu~~ proximis nundinis

Cuius etiam genuina explicata sententia, multis demonstras iniuria carpi virum de re Christiana optime meritum.
Ubi de sequitia quorundam & iniquitate haud iniuria quereris: qua cum etiamnum multi opprimantur, magna, ni Deus avertat, nobis per Germaniam Ecclesiae & Scolarum vastatio metuenda est.

~~Quae vero de Bucero & Calvino praestantiss~~

Quo enim quisque ad rem ipsam cognoscendam magis tardus & ineptus, eo fere est ad diiudicandum parator, ad arguendum ac maledicendum impudentia rapitur.

+ maiori ~~ad~~ diiudicandi temeritate

Quae vero de Bucero & Calvino commemoras, doctiss. praestantiss.que nostra aetate viris, mirarer vehementius, ni scirem Satanam homicidam esse & mendacij patrem, ideoque ad nullam arte aeque instructum atque in errorib. dissidijsque seminandis ac fovendis. Facile autem crediderim scriptorem nostrum, Buceri hac in re secutum esse iudicium, quo cuius aliquando praeceptore usum esse ex ipso mihi videor didicisse accepisse discipulum fuisse plane mihi persuasum habeo
Quid autem Zuinglius diversum habere, seu ab alijs quoque in re praesertim utroque a Luthero dissentire existimet, id scire non potui, quando eiusmodi scripta hactenus mihi ~~non~~ videre non contigit

Quo saepe illustri exemplo monemur nos quid hominum autoritati plus aequo tribuentes, in veritate indaganda ipsi remissiores simus.

Nec magnopere laboro, cum intelligam ex iis quae allegas, putasque in locos aliquot Scripturae ipse commentaris, nihil rei ipsam diversitatis habere. Ego vero neque fidelibus Christi ministris quicquam derogare neque in ullius gratiam volui non probanda laudare.

Magna est Lutheri autoritas, praeclara eius in remp: Christ: merita nihil tamen humani ab eo alienum puto. Atque utinam qui nunc genuini ipsius discipuli videri volunt, virtutes potius quam naevos exprimerent. ne dum sinistra pravaque imitatione [gloriam, existimationem] laudem quaerunt id demum consequantur, quod de Novati, ni fallor, discipulis veterum quidam pronunciavit, Novatum se amare inquiens Novatianos non item. Quod si eam omnes moderationem servarent, idemque esset pacis & concordiae studium [ut tuae litterae] quale tuis litteris praefers, certe turbarum minus, & Ecclesias [recte] magis [constitutas] paratas haberemus.

Nunc cum undique classicum canitur, ac nusquam non verbis & armis de religione pugnatur, periculum est ne nimium concertando veritatem prorsus amittamus. [Dum nos ipsos confodimus] Nos ipsos laceramus, interim communem hostem fovemus. + ~~At quo Zelo id fiat eventus docet.~~

+ Cuius ea quae nunc in Belgia geruntur argumento esse possunt.

Videmus censores quosdam theologos ~~nostros~~ tanta [pro suo rigore] qui ne collegis quidem ac conciliatoribus suis parcunt, tam pontificiis tam ~~ethnicis~~ faciles & [clementes] ut non verentur authoritate ferire, si Diis placet, qui adversus illos Sacramentarijs ut vocant, opem ferunt.

Par est [horum quorundam] eorum ratio qui titulo purioris doctrinae gloriantur, atque in eo operosi ne quod in [receptae religionis forma] Aug: Conf: schisma admittatur, fratres vero laborantes atque adeo commune periculum ++ negligunt. Nonnulli impudentius quasi cum seditiosos & rebelles hostibus se coniungunt.

++ apud vicinos Belgas ferveri

Inter quos proh pudor, sunt etiam heroes nostri nõ pauci
aliquot ac principes viri. Pauci vero ac nisi mercede
fere forte conducti adversus hispanicã tyrannidẽ, arma sumunt gerunt

" quo tamẽ ad Antichr: regnũ stabiliendũ nemo instructior

" quo tamẽ nec alius potentior, nec quisq ob potentiã & oportunitatẽ magis nobis metuendus est.
Habet Orania princeps exercitũ haud contemnendũ, nimirũ
equitũ germanorũ ad 7 millia, pedites aliquanto plures.
Præter eas copias quas fratrẽ habet sub Ludovico comite in Hannonia,
Flandria, item in Zelandia & Hollandia ubi complures
civitates occuparunt sibi coniunxerunt
Princeps ~~hic~~ ipse in Geldria subigenda, itemq reprimendis illis
hactenus occupatus fuit qui ad Albani castra transire voluerunt

Ad theologos Tigurinos circa
Cal: Sept: Aº C72.

63.

S. Postremas meas literas Excell.ae tuae redditas esse, mihi indicavit Catharinus
Dulcis, per quas miseram, qui idem te per nostros mercatores responsurum affir-
mavit. Etsi verò quod nunc scribam nihil sit, neque si quid esset, prolixè
scribere possim, cum hodie mane concionem habuerim, et alia post meri-
diem habenda sit, quae ad duarum horarum spatium durabit, quam crastino
mane altera prolixior excipiet (nam solemus ex more Ecclesiae nostrae
hoc biduo totam Passionis Dominicae historiam populo exponere) nolui tamen
tabellarium nostrum sine meis illuc venire, ut saltem quae causa me
nunc impediat, intelligas. Negotium illud commune de nostro suppli-
ce libello in Comitijs exhibendo, post multam consultationem eò tan-
dem deductum est, ut legatio nulla illuc mittenda videatur:
interim Illustriss.o Electori principi nostri scribunt, et eius Celsitu-
dini liberum faciunt, ut scriptum illud (si ita res postulare videa-
tur) exhibeat. Malluissem ego illuc missos fuisse, qui causam istam
agerent, quamvis quid sperari possit de Cyclopibus istis non
videam. Et fortassis proderit, si Camarinam hanc non move-
amus. Nam planè video hoc vitium ex eorum numero esse, quae
curando deteriora fiunt: quando pauci ad eorum curationem acce-
dunt, qui non aliquo praeiudicio sint praeoccupati. Nec dubito Deum
Achitophelos istos infatuaturum, ut sibiipsis malum accersant, quo
contra Davidem inita consilia dissipentur. Me magis solicitum
habet bellum Gallicum et Illustriss. principis Joannis Casimi-
ri sors, quem ut Deus in ista gente infida nobis servet
ex corde precor. Apud nos mirum de toto illo bello silentium, nisi
quòd omnes narrant, Regi non male cum fratre, Condaeo,
et reliquis convenire, sed solum Joan. Casimirum obstare, quò mi-
nus pax coeat. Ista verò mihi videntur eò tendere, ut in hunc
omne odium derivent, et facilius deinde illum opprimant:
quod avertat Deus Opt. Max. Sed plura non possum. Faxit
Deus, ut hic noster tabellarius ad nos rediens nuntium nobis
ferat, quo possimus solidum gaudium gaudere. Valeat tua
Excell.a in Christo Jesu. Tiguri 19 Aprilis. Anno 1576.

Tuae Excell.ae



observantiss.s

Rodolphus Gualtherus.

Gualtherus

